UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Petri Cvnæi de Repvblica Hebræorum Libri III

Cunaeus, Petrus

Lvgd. Batavor., 1632

urn:nbn:de:hbz:466:1-65527

Visual Library

Q
I. Th. 5121.
a P

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


PETRI CVNÆI
de
REPVBLI-
CA
HEBRÆORVM
Libri III.
Editio novissi-
ma.
LVGD. BATAVOR.
Ex officina Elzeviriana. A°. 1632.

Soc.tis Jesu Paderb. 1657.

PRÆFATIO

ad illustrißimos potentißimosque

HOLLANDIÆ

VVest-Frisiæque Ordines.

INspiciendam vobis, Illustrissimi Ordines, offero rempublicam, qua nulla unquam in terris sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit. Hujus initia, & incrementa perdidicisse, omninò vestrum est, quoniam illa hercle non hominem quenquam mortali concretione satum, sed ipsum Deum immortalem, autorem fundatoremq; habet, cujus vos venerationem, atque intemeratum cultum suscepistis ac tuemini. Videbitis, quid demum illud sit, quod cives Hebræos diutissimè in quodam vitæ innoxio genere continuerit; quid fortitudinem in

illis excitaverit, concordiam aluerit, cupiditates frænaverit. Profectò habuit is populus regundæ reipublicæ instituta quædam ejusmodi, quæ omnium essent prudentum præceptis potiora. Eorum nos magnam partem posse ex sacris voluminibus erui ostendimus. Sola est militaris disciplina, de quâ admodum nihil traditum memoriæ posterorum sit. Omninò tamen virtutem bellicam in omnibus Hebræis summam fuisse fatebitur, qui victorias eorum, atq; res gestas cum animo suo reputabit. Quippe homines exules, Ægypti finibus, quos diu insederant, relictis, postquam longum fortuitumq; iter emensi essent, perq; annos XL incerto errore in vastissimis Arabum desertis obhæsissent, tandem fortissimis pugnacissimisq; gentibus pulsis, feliciter eas terras invasêre, in quibus oppida eorũ & templum dicata sunt. Hic verò illi in beatissimo solo mirificè per concordiam mutuam creverunt. Communibus enim consiliis

siliis omnium saluti consulebant. & civitates hercle, quæ plurimæ erãt, non suam singulæ dominationem stabilire, sed ingenti studio libertatẽ defendere publicam nitebantur. Ad imperium autem bene atq; utiliter constituendum, ne quid deesset, etiam legibus, magistratibus, senatoribus, judicibus iisdem utebantur: ad hæc, ponderibus, mensuris, ac pecuniâ eâdem. Quare profecto, quo minus universa propemodum Palæstina jam pro urbe unica posset censeri, id unum obstabat, quod non iisdem mœnibus omnes ejus incolæ clauderentur. Cætera enim & in commune, & per singulas urbes similia erant atque eadem. Inter oppida tamen urbs una quædam fuit, quæ ex legis edicto cæteris esse omnibus dignior augustiorq; debuit: non hercle, quo dominatũ in cæteras urbes teneret, sed ut omnes undique, qui in dissitissimis locis habitabant, quotannis ter illuc ad sacra communia atq; ad religionum cæremo-

nias convenirent. Quare hæc res civitatum concordiam adeò non divulsit, uti etiam vinculum ejus fuerit vel arctissimum. Incolebant maximam fertilissimamque regionẽ duodecim Israëliticæ tribus, quæ admiranda fœcunditate singulæ in magnitudinem gentis excreverant. Nihil adversus eas vis hostilis, bellorumve tempestates, aut alia id genus mala valuêre. Semper cladibus suis majores erant, & per cædes, ac per damna animos opesque sumebant ab ipso ferro. Atque hunc quidem in modum diutissime Hebræorum respublica stetit: donec tandem, post Salomonis mortem, cum ad summum felicitatis perventum esset, magna rerum conversio incessit. Hieroboamus enim quispiam, cui spes opesque omnes in discordiis civilibus essent positæ, seditiosis concionibus populum commovit, totisque decem tribubus ad se traductis, rempublicam quandam seorsim sibi constituit, cujus arx atq; caput Samaria

maria mox fuit. Quare jam haud una profecto, sed duæ respublicæ erant. Quarum altera, quæ Israëlitica & decem tribuum dicebatur, ad breve oppidò tempus duravit. quippe tota illa gens debellata mox est, victoremque secuta abiit in æternum exilium. Altera verò, quæ Iudæorum fuit, quæq; imperii sedem Hierosolymam habebat, etsi ante Vespasiani Cæsaris tempora penitus deleta non est, tamen vis ejus potentiaq; omnis adeò imminuta erat, ferè ut semper hostibus impar esset. Quorũ omnium profectò nihil evenire quidquam potuisset, nisi in contraria studia scissi fuissent, qui antea conjunctis viribus tot gentium terrarumque victores evaserant. Discordiæ civium sunt, Illustrissimi Ordines, quæ hostibus magnarum rerum præbent occasionem. Quare, quæ res Hebræorum imperium tantopere attrivit, hæc ea ipsa est, quæ aliarum quoque gentium florentissima regna destruxit. Per-

currite cum animis vestris omnium temporum memoriam. Reperietis hanc pereundi causam fuisse omnibus ferme, quæ magna atque excelsa erant. Rarò fortuna invidiam suam populo uni in alterius perniciem commodat, nisi prius ille, turbatis domi rebus, vitia ipse sua suasque vires regere nesciat. Sane quidem Romani, versutissimi mortales, quos Marcus Tullius verè ait sociis defendendis terrarum omnium esse dominos factos, *præclarè intellexerunt, ad convellendas aliorum respublicas nihil sibi posse à divino numine majus præstari, quàm motus quosdam hujusmodi, dissensionesque fœderatarum gentium. Ita enim, dum aut suppetias laborantibus ferebant, aut dissidiorum erant arbitri, omnia latè subegerunt:* &, ubi solitudinem fecissent, pacem appellabant. *Erant olim Achæi omnibus terribiles propter eam societatem, quam sanctissimis legibus, summâ juris atque liber-*

libertatis æquabilitate inter seſe inierant Peloponnesi civitates. Respublica autem ipsorum, ut longè optima, ita profectò fermè tota similis vestræ erat, Illustrissimi Ordines, *inconcussa ob conjunctionis fidem, immotaque, & suis viribus subnixa. Quàm sæpe ille rerum dominus, populus* Romanus, *cum inexpugnabilem fore Græciam sciret, quamdiu staret eorum societas, arte & dolo dissolvere eam conjunctionẽ conatus est? Datum id negotii Gallo proconsuli est. &, cum res non procederet, callido commento adjuncti ad eorum societatem Spartani sunt, sed fœdere inæquali, ut dissidiorum inter illos contentionumque causæ perpetuæ forent. Sanè verò ex hac una re diu postea Achæis fatum excidii advenavit. Possem id genus alia exempla, quibus pleni annales sunt, referre: sed non est hic longæ recitationi locus. Ipsa illa*

Terrarum Dea gentiumque Roma, *quam peste totius orbis esse condi-*

tam Mithridates ajebat, dissidiis civium, & factionibus procerum fatiscens, libertatem amisit, accepitque dominum. Sed enimverò, ut de Hebræis dicam, ponendum illud in extremo est, quod caput rei est. Vtique voluntatum illam studiorumq; disjunctionem, quæ sacrum populum, Salomone extincto, in duas partes scidit, dies fopsitan tempusque ipsum, ut fit persæpe, composuisset, sanitatemq; aliquam attulisset animis: sed Hieroboamus, homo improba dominandi flagitia edoctus, cujus auspiciis facta primum secessio erat, arte quadam usus est, qua effectum fuit, ne unquam duodecim tribuum rediret concordia. Veterem enim rectamq; religionem futili quadam superstitione interpolavit. Ita, cum commentum suum facundâ oratione populo socordi & curis vacuo obtrusisset, jam exhinc non pro libertate opibusve, sed pro sacris & pro aris facta dimicatio est. Hæc, & id

genus

genus plura in his libris excussimus, Illustrissimi Ordines. *neque profecto infrugiferum existimavimus, publice hæc spectari. Vos ii estis,* Sanctissimi Patres patriæ, *quibus semper illud animo stetit,* concordia res parvas crescere, discordia maximas dilabi. *idque ita verum esse, exitus tandem comprobavit, postquam numinis benignitate, & virtute vestra, atque invictissimi principis auspiciis,* Respublica *vestra multis magnisque incrementis jam constituta tandem in illo fastigio est, ut nihil hostes, nisi de magnitudine vestra, querantur. Hæc vestra, quæ tantopere vos auxit, conjunctio, animorumque conspiratio, ut perpetua atque stabilis sit, Deum optimum maximum, qui reipublicæ hujus tutor defensorque est, supplex quæso & veneror. Equidem ego, cum prudentiam vestram, sapientiamque, quæ in maximis rebus semper eluxit, considero, plane confido ita fore, uti omnes boni cupimus*

pimus. Et tamen profectò, nemo gloriari nunc potest tam feliciter se natum esse, uti non interdum convertere cogitationem debeat ad omnis ævi exempla. Iam permulti cives vestri in partes nescio quas discessere, sententiisque contrariis inter sese pugnant, postquam orta inter eos inutilis dissensio est de religionum mysteriis, quæ plerique non intelligunt. Sequitur affectus suos hinc inde multitudo, & quotidie pluriùm inflammatur ardor. Huic rei ut tempestiva remedia adhibeantur, vestra interesse, vos Illustrissimi Ordines intelligitis, qui jam sedulo in hanc curam incumbitis, ne florentissima res vestra damnum capiant aliquod ex hujusmodi intestinis malis, quæ fuere eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames, morbive, quæque alia terris incumbere, tanquam pestes quædam, solent. Sed supervacuum est plura de his dicere, cum nihil tam

ex

ex alto reperiri possit, quod vobis cogitantibus in promptu non sit. Illud à vobis peto, Illustrissimi proceres, *uti rempublicam hanc Hebræam, sanctissimam omnium, optimamque, quam in his libris descripsimus, etiam atque etiam intueamidi. Erunt illic quædam, quæ reges principesque, & rerumpublicarum moderatores seligere in usum suum queant. Equidem ego tanto facilius animum meum induxi, uti hæc vobis offerrem, quod in illo senatu vestro assidere primarios quosdam seculi viros cogitabam, quorum est eruditio ejusmodi, ut, si quid etiam dictum hjc est, quod antiquitatem & nobilium autorum monumenta illustret, bene de eo præclareque judicare possint.*

Illustriss. Magnitud. Vestræ

devotus

P. Cvnævs.

Bene-

Benevolis lectoribus
salutem dico.

REPREHENSVS olim Albutius Rhetor est, quod de omni causa dicere cuperet, non quicquid debebat dici, sed quicquid poterat. Nos an in his commentationibus executi simus quæ dici oportebat, aliis judicandum relinquimus. At illud certo scimus,& profiteri non erubescimus; plurima nos prætermisisse, quæ dici poterant. Enimvero, cum ante nos argumentum hoc pertractavissent viri duo eruditissimi, Carolus Sigonius, atq; Cornelius Bertramus,nolebam actum agere,aut quæ ab illis dicta essent, molestissima iteratione repetere. Quare hîc nos quædam aliarum rerum summa fastigia pervasimus,quæ ad reipublicæ hujus constitutionem pertinerent. Atque adeo, omissis illis, quæ Sigonius Bertramusque vulgaverunt, liberrima scriptione huc congessimus,quæ aliunde nobis in promptu erant. quæ profecto & plurima erant, & omnino digna observatu esse videbantur.Bonam autem partem eorum nobis suggessit Rabbi Moses Ben Maimon Ægyptius, cujus industria sagacitasque omni prædicatione est major. Eum luculentum autorem

rem transmisit ad nos vir amplissimus, Ioannes Borelius, qui potentissimis Zelandiæ Ordinibus à secretis est. Vtique quantumcunque est illud, quod nobis monumenta maximi Rabbini perlustrantibus mirifice placuit, id omne acceptum ferri ejus viri humanitati debet, à quo eximium illum rerum Iudaicarum scriptorem accepimus. Nos neminem scimus, in quo nunc plus præsidii Hebraismus, quam in Borelio, habeat. Adeo ille ingentem thesaurum ex Oriente eorum voluminum comportavit, quæ nunquam aut raro vidit noster orbis. Vos, qui harum rerum studio tenemini, summam ejus viri eruditionem, propensamque ad literas ornandas voluntatem diligite, colite: & ex locuplete ejus Bibliotheca quondam omnia præclara atque incomparabilia exspectate.

INDEX

INDEX CAPITVM
LIBRI TRIMI.

CAPVT I.

DE Reipublicæ Hebrææ institutis. De legislatione. Inanis Græcorum jactantia. Quis primus auctor scripti Iuris fuerit. Septem præcepta Noachi filiis data. Quid in republicâ constituendâ, nominandâ, atque in legibus sanciendis Moses spectaverit. Pag. 1.

CAP. II. Hecatæi liber singularis de Iudæa. Prudens legislatoris consilium de agrorum assignatione. Non debuisse eos occupantium esse. De lege agrariâ, deq; ejus inæstimabili utilitate. Redemptio agrorum. Beneficium Iubilæi. Restitutio gratuita agrorum. Iuris Talmudici quædam sanctiones super ea re. De Maimonide, ejusq; luculentissimis commentationibus. Quid jubilæorum celebritas servis contulerit. Per novem dies coronati servi. Saturnalium quædam imago. 6.

CAP. III. Amplius de duplici causa legis agrariæ dictũ. Ex latifundiis quàm crebræ mutationes rerum. De Romanâ republica. Lex Stolonis. Quibus artibus veteres Hebræi se sustentaverint. Quàm cautè legislator providerit ne eæ desere-

reu-

rentur. Leges divinæ de rusticatione & re pecuaria. 11.

CAP. IV. In quas angustias Iudæos septimus quisque annus detruserit. Alexandri Magni beneficium huic genti concessum ob quandam vaticinationem. Iudæorum rara olim commercia cum exteris gentibus. Quanta in ignoratione rerum Iudaicarum versati sint Græci. Aristotelis commentum de Callanis Indiæ sapientibus. Quibus rebus vita moresque civium immutentur. Qui cives optimi. Nullis artificiis Iudæos celebres fuisse; idque in laude positum. De opificibus. 17.

CAP. V. Aegyptiorum odium in Hebræos, & vera causa ejus. Aegyptii ignavis artibus curisque dediti. Qua solertia Sesostris eviraverit civium animos. Lex Aegyptiorum de opificum artibus ad haeredes cujusq; transmittendis. De Niliaca plebe, quæ in servitute. De sacerdotibus. De pastoribus, qui tertia Ægyptiorum pars, & quam formidati cæteris Ægyptiis semper fuerint. Superstitionem Ægyptiorum nihil feciſſe ad pastoritii generis odium: & male id existimari. Plebem Ægyptiam non ita agricolas execratam fuisse, ut pastores. Et causa ejus rei. 22.

CAP. VI. Quando Iubilæi desierint

celebrari. Cur illorum habitam esse rationem in annis sabbaticis numerandis dixerit Maimonides. Rejecta Maimonidæ opinio. 26.

CAP. VII. Trina consecratio Palæstinæ & urbium ejus. De jure urbium. Lex de prædiis urbanis. De urbe Ierosolyma, deque ejus privilegiis. Agrippæ impium facinus, & super eo Iudæorũ legatio ad Neronem. Quibus ceremoniis proferri urbis Ierosolymæ pomœria oportuerit. Ius muniendi à quibus datum. Quando rempub. suam penitus Iudæi amiserint. De oppidis, quæ asyli jus habebant. 34.

CAP. VIII. Quid Palæstina præ aliis regionibus habuerit. Non potuisse rempublicam Hebræam in alias sedes transferri. Explicatum Maimonidæ dictum de Babylonienſibus Iudæis. Amplæ res eorum, & regnum ab illis Hyrcano oblatum. De sceptro Iudæ quid existimandum sit, contra Maimonidem asseritur. Respublica Iudæa ad Palæstinam alligata. Iudæorum scitum de templis, quæ extra Ierosolymam à popularibus condita. 44.

CAP. IX. Criminalia judicia intra Palæstinam stetisse, & Babylonienſibus Iudæis aliisque negata fuisse. Ad totius commentationis hujus lucem ostensum quam

quam diu respublica fuerit omnium Hebræorum, & quando Iudæorum esse cœperit. Hinc sciri posse quidnam sit sceptrum Iudæ. Eusebii, & eorum, qui secuti eum sunt, erudita & plausibilis sententia confutatur. Quid sit majestas imperii, & quorum sit. 49.

CAP. X. Nunquam duodecim tribus Hebræas de nomine Iudæorum appellatas esse. Decem illas tribus, quæ ante Nabuchodonozoris tempora avectæ à Salmanassare sunt, nunquam in Palæstinam rediisse. duas duntaxat tribus, non plures, paruisse Romanis, usque ad Flavii Iosephi tempora. Passim Eusebii & aliorum error notatus. 57.

CAP. XI. Hariolatio quorundam, qui sceptrum Iudaicum esse Davidi datum ajunt. admodum serò contigisse, quod dictum multò antè de Iudæ sceptro erat. Quando ablatum Iudæis sceptrum sit. 65.

CAP. XII. De dictatoribus, judicibusque. de senatu Sanhedrin. de initiatione senatorum. ἡ χροθεσία. item solenne carmen. qui allecti in id concilium, qualis jurisdictio eorum. de populi comitiis. de poculo Sutha. Iudæorum delirium de magiæ usu. de Eleazari incantamentis. 67.

CAP. XIII. De duobus aliis conciliis, quæ

Ierosolymæ fuere præter senatum Sanhedrin. De senatu XXIII *virorum, qui in singulis oppidis. De triumvirorum collegio. Civitatum quis modus esse debeat. De quinqueviris cædis expiandæ causa creatis. De septemviris & triumviris, qui annis & mensibus intercalandis præerant. Tempora à Rabbi Hillele Babylonio ordinata. Vis concilii Sanhedrin à Gabinio callidè imminuta.* 77.

CAP. XIV. *De regis creatione, & an placuerit ea numini. Cur initio rex malus à numine adscitus. Quas res in illo legendo spectaverit vates. Liber de regni jure in sanctuario positus. Quarum rerum potestas data regibus Hebræis sit. Quis honos illi à Pontif. maximo, à sacerdotibus atq; à vatibus delatus. Locus Samuelis contra quosdã interpretes stabilitus. Sedendi jus in atrio sacerdotum soli regi datum, non ipsis sacerdotibus, nec aliis. Cujusmodi regibus paruerint primi homines, ex Aristot. Quidnam Hebræis regibus sanctitatem adjecerit. Non eam hinc esse, quia vates fuere. Solos reges & pontifices maximos unctione fuisse initiatos. Vnguentum sacrum à Iosia defossum, nec post repertum aut usurpatum fuisse sub templo secundo. Reges Samariæ an uncti fuerint.* 82.

CAP.

CAP. XV. *Quibus artibus Hieroboamus ad regnum obrepserit. Rerumpublicarum inclinatio, conversioque. Scipionis prudentia verecundiaque in lustro condendo. Carmẽ lustrale pro republica. Ingenium plebis quale. Cur urbem Sichemum tenuerit Hieroboamus. Religionũ sacrorumq; mutatio quoddam flagitiosæ dominationis arcanum. Ex decem tribuum secessione quot mala extiterint. De Sesostri falsa Herodoti narratio. Regni Samaritici eversio. Transportatio gentium cur à victoribus facta. Iudæorum exilium. Ex Ierosolymæ spoliis templum Beli, & Babylonis munitio, tum pensilia nemora, murique coctiles. Græcorum futilitas, ex Beroso. Reditus Iudæorum in Palæstinam. Imperium ad Levitas devolutum. Contentiones eorum de imperio.* 92.

CAP. XVI. *Reipublicæ regimen apud pontifices. Eorum flagitia, & improbæ machinationes. De Eliasibi filiis. Templum Garizitanum qua impietate exstructum sit. Oniæ detestabile scelus. Matthias Hasmonæus, laudatissimus dux. Principatus Iudæ Maccabæi. De Alcimo nequissimo bipedum. Iudæa iterum sub regibus. De Herode. de Idumæis, & numine eorum Cosa. Sameæ vera divinatio. Qua iniquitate Hero-*

des imperium exercuerit. Vt Iudæorum leges temeraverit. 100.

CAP. XVII. De Meßia, Iudæorum atq; gentium omnium rege. Mystica vocis scriptio in verbis Esaiæ. Bileami vaticinium ex Iudæorum interpretatione. Quid singulare in hoc regno. Rabbi Abrami animadversiones in Maimonidem. Ezechielis obscurißima oracula de templo, deque sacris in regno Messiæ. Nimis imprudenter in istæc inquiri. 106.

CAP. XVIII. Status Iudæorum post Meßiæ adventum. De restitutione Iudæorum, quæ adhuc exspectatur. Quæ sit dignitas etiam hodie illius gentis. Quantum Iudæis nostra debeat religio. An sacri libri ab illis interpolati aut corrupti? de Masoritarum diligentia & fide. 111.

LIBRI SECVNDI.

CAP. I. Familia Pontificalis. De Alcimo malè existimatum. Pontificis constitutio penes quos. Chalcidensium regi quid beneficii à Claudio datum. Pontificis munia. Quando nobile officium suum Pontifex obierit. Quem habitum tunc gesserit. Flavii Iosephi error, ex properantia

rantia natus, qui omnes hactenus decepit. Ejus confutatio. Maimonidæ recta sententia. 122.

CAP. II. Pontificis sacra vestis modo à Romanis, modo à Iudæis asservata. De Pontificis galero. De sacerdotum pileus. Lapides Vrim & Tummim, in quibus vis oraculi fuit. Quando ii amissi sint. Cur alii facti, & adhibiti postea sint, cum eorum nulla vis amplius esset. Quis fuerit modus consulendi oraculũ Vrim & Tummim. Quibus de rebus responderit Pontifex. 130.

CAP. III. Vestimenti laceratio quatenus Pontifici permissa. Item quatenus sacerdotibus. De Caipha. Lex conjugii alia pontifici, alia sacerdotibus posita. Matrimonium virginis, viduæ, vitiatæ, & per divortium dimissæ. Polygamia. Habitatio Pontificis. De Augusto Cæsare. 133.

CAP. IV. Contra Divum Augustinum, atque contra Carolum Sigonium disceptatur de Pontificis ingressu in Sancta Sanctorum. Locus in epistola ad Hebræos malè à Sigonio intellectus. Altare suffituum non fuisse in Sancto Sanctorum, contrà quàm Divus Augustinus sensit. 135.

CAP. V. Philonis Iudæi quædam loca excussa, & explicata. Lapsus Philo-

nis. item ejus, qui librum I. Maccabæorum scripsit. Post reditum Iudæorum ex Babylone, legem non planè servatam fuisse in templi ædificatione. Argumenta quædam dissentientium rejecta. Quid Mosi præ Pontificibus concessum fuerit. 140.

CAP. VI. Vicarius Pontificis sub decimum diem mensis Tisri constitutus. Quot gradus dignitatum inter pontificatum & sacerdotium interpositi fuerint. Iusjurandum solenne quotannis Pontifici delatum sub templo secundo. & causa ejus. Hæresis orta de suffitu in adytis adolendo. Hircus in desertum missus. Mons Hazazel. Iudæorum scita quædam super ea re. 148.

CAP. VII. Initiatio Pontificis duplex, & qualis. Quando altera cessaverit. Quando Pontifex ab juvenci mactatione, quam lex præscripsit, immunis fuerit. 153.

CAP. VIII. Sacerdotum stationes, & ἐφημερίαι. Qui judicaverint de vitiis sacerdotum. Damnati sacerdotes qua conditione fuerint. Lignile. Antigoni in Hyrcanum facinus. 155.

CAP. IX. Sacerdotes Levitasq; fuisse partem quandã magni concilii Sanhedrin. Negotia regia atque civilia publice Levitis commissa. Virtutum insignis imago

imago in illis. Acceſsisse eos ad meliorem partem, atque ad æquiorem causam, cum scissa olim divisaq; Hebræorum respublica fuit. Quantopere degeneraverint mox à recta indole, atque à veteri integritate. Summum reipublicæ regimen occupatum ab illis, atque immodeste usurpatum. 159.

CAP. X. Qui fuerint Anscha Hammaamad. Quali legatione functi sint. Sacrificia pro populo peracta. Legatos hos etiam extra Ierosolymam munus suum in synagogis obiisse. De jejuniis eorum. Cur pridie & postridie Sabbati non jejunaverint. 163.

CAP. XI. De Levitis illis, quorum ministerio sacerdotes utebantur. classes eorum, & diversa munia. Nethinæi. Lex annaria de Levitis lata quando cessaverit. Levitas non itidem, ut sacerdotes, reprobatos fuisse. Quantum nefas fuerit, confundi eorum ministeria. 165.

CAP. XII. Templum Ierosolymitanum. Cur intus illic tanta vis auri. De templis veterum, in quæ aurum non inferebatur. non esse id Iudæorum institutis contrarium. Confutatus quorundam error. Talmudicorum scitum de iis, qui sacram ædem adeunt. Quid sint τὸ ὀκδὴ in Messiæ edicto. Salomonis industria in templi extructione. Quam

celeriter consummata ea operis moles. Dianæ Ephesiæ ædes quibus impensis & quam lente ædificata. cur in palustri solo ea posita. Iudæorum commentum de monte Moria. 169.

CAP. XIII. Admiranda quædam de templo, deq; sacrificiorum & sacerdotũ multitudine. De festo Paschatis singulare quid, & penè supra fidem. Lignorum tres strues in altari. De æternis ignibus. Corban Hahitsin, oblatio lignorum, & dies festi ad hanc rem. Talmudicorum & Flavii Iosephi discrepantia. Superstitio eorum, qui intraverint templum, quique exiverint ex illo. 173.

CAP. XIV. Addita religionibus majestas. Talmudicorum sententia de muro, qui adyta separabat. & cur is in templo secundo non restitutus. De custodiis templi. An rectè eas Maimonides esse ex lege tradiderit? Morbi crebri sacerdotum unde fuerint? 177.

CAP. XV. De Ierosolymæ & templi excidio. Quid Romanos ad rem atrocissimi exempli solicitaverit. Casus quidam admirabiles à Iudæis notati de excidio templi prioris & posterioris. Titi miseratio & lacrymæ. De tertio templo, quod adhuc exspectant Iudæi. Ælia Capitolina in ruinis Ierosolymæ condita,

dita, & additum à Cæsare Hadriano ludibrium. 180.

CAP. XVI. *De templo Samaritanorum, quod in monte Garizin. Qui fuerint Chutæi. Vnde advecti in Samariæ sedes sint. Quanto deteriore conditione fuerint quam Iudæi. De religione eorum quædam. Fuisse eos primum idololatras: mox, abdicato idolorum cultu, lapsos in hæresin esse.* 185.

XVII. *De Hæresibus sectisque Iudæorũ. Quando eæ ortæ sint; & vera causa earum. Cur ante exilium Babylonienſe in idololatriam, post illud exilium vero in hæreses inciderint Iudæi. Quare difficile sit ab idololatria ad hæresin desciscere. De Bano, deque Gaulonitis, & Zelotis, item de impostoribus quibusdam, qui in Iudæa religionum prætextu grassati ad res novas sunt.* 189.

CAP. XVIII. *Virtus bellica Iudæorum. Quanti ea fuerit apud exteros reges. Verba Chœrili à Flavio Iosepho male accepta. Qui sint Solymorum montium habitatores in Chœrili carmine. Tonsuræ modus Iudæis vetitus. Quid hoc sit, quod de Phœnicum sermone Chœrilus ait.* 196.

CAP. XIX. *De bello, quod lege indictum fuit, deque eo, quod sponte susceptum ab Hebræis est. Quales pacis leges oblatæ hostibus*

hostibus sint. Quid illud sit, quod Talmudici de septem præceptis tradunt, quæ servanda omnibus gentibus fuêre. Quàm citò post orbem conditum, & quàm latè animos mortalium pervaserit idololatria. Hebræorum notabilis sententia de Abramo: & quando is rectum numinis cultum susceperit. 200.

CAP. XX. Feciales pacis offerendæ causa missos esse etiam ad septem Cananæa populos, contra quam vulgo existimatum est. Cur Gibeonitis dolo atque astu opus fuerit ad petendam pacem. Cur septem Cananæa populi ad internecionem occisi. Cur Ammonitis & Moabitis oblata pax non sit. De sacerdote, qui prælii causa ungebatur. 206.

CAP. XXI. Qui fuerint immunes militiâ. Saùlis severitas in cogendo milite. Pœnæ in eos sancitæ, qui sacramentum detrectarent. Vnde Flavius scripserit, deos peregrinos in bello non violandos Iudæis. Laudabilis Iudæorum religio, cum Beli ædes refecta ab Alexandro est. 210.

CAP. XXII. Sabbatorum observatio Iudæis sæpe noxia in bello. Ea superstitio animis hominum exempta per Matthiam Hassamonæum. Stratonicæ febriculosa pietas. Auspiciorum atque omnium vis à Mosollamo, acerrimo milite

milite Iudæo, elusa. Ostenta & omina esse in potestate mortalium. Lex divina de sexuum distincto habitu non intellecta à Flavio. Adulterarum toga apud Romanos. Charondæ miles stolatus. Medorum Persarumque mollities. 213.

CAP. XXIII. De Iudæis, qui extra Palæstinam in aliis regnis habitavere. Gentium plurium migrationes, & voluntaria exilia. De Iudæis Asiaticis, deque Babylonien sibus, tum de Aegyptiis & Alexandrinis. Pecuniæ ab illis Ierosolymam missæ. Quantæ opes in sepulcro Davidis. Darius à Semiramide elusus. Iudæorum Hellenistarum, & Palæstinorum infensa æmulatio. Quo jure, quaque conditione apud Romanos Iudæi fuerint post eversam sacram urbem. De polygamia. 218.

CAP. XXIV. De lege, quam Iudæis Moses scripsit. Opinio veterum quorundam de sabbato confutata. De amne Sabbatico quæ Plinius, Rabbi Maimon, & Flavius Iosephus retulere, excussa. Cur magis suibus, quam cæteris animantibus abstineant Iudæi? Plutarchi rationes rejectæ. De Ægyptiorum morbus. Iudæos non fuisse Bacchi cultores, contra quam Plutarchus

& alii

& alii Romani scriptores senserunt. 229.

LIBRI TERTII.

CAP. I. *Initia Ecclesiæ, & incrementa, Satanæ stratagemata. Locus in* 1. *cap. Genes. explicatus. De serpente. Quid sit caput libri. Error Hieronymi. Liber Enochi commentitius.* 255.

CAP. II. *Ecclesia identidem admiranda numinis judicio intra unam familiam coarctata. Id exemplis ostensum.* 268.

CAP. III. *Sententia nostra de Melchisedeco contra communem receptamque opinionem confirmata. vis præsidiumque ingens additur epistolæ ad Hebræos.* 274.

CAP. IV. *Ecclesiæ fata ab Abrami temporibus usq; ad regni Israëlitici scissionem, quæ post Salomonis mortẽ contigit. Divinandi vis in morituris. Israelitarũ idololatria in Ægypto. Superstitionibus Ægyptiorum sæpe postea obnoxii Israelitæ in Palæstina. Apis. Serapis. Vitulorum, & serpentis veneratio. An Iudæi asinum coluerint? Cur Ægyptii asinum execrati sint? Cophinus fœnumque Iudæorum, qui Romæ erant. Res legesque Iudaicæ intactæ Græcis Romanisque scriptoribus, & quare. De Theo-*

Theopompo & Theodecte. Iudæorum adversus exteros odium. Mendacia de Iudæis. 295.

CAP. V. *De circumcisione. Quæ gentes olim fuerint circumcisæ. De Ægyptiis, Æthiopibus, & Colchis. Verba Ieremiæ de Ægyptiis à quorundam interpretatione vendicata. Pauli locus de iis, qui præputia reducunt, perperam ab Hieronymo intellectus. Immodicus æstus Hieronymi in libris adversus Iovinianum. Hallucinatio ejusdem in verbis Iosuæ de repetita circumcisione. Cur circumcisio octavo die celebrata.* 310.

CAP. VI. *De religione Iudæorum. Cur Iudæi nubium & incerti numinis cultores habiti olim sint. Quid illud in Petronii Catalectis sit,* cœli auriculas advocare. *Non esse id Cœlicolis dictum. Athenienſium calumnia in Socratem. Ara ignoti Dei apud Athenienses. Iudæorum inexpugnabilis constantia in unius numinis cultu post templum secundum.* 324.

CAP VII. *De vatibus, deque divino afflatu. De Elia. An vates furore correpti, & mentis impotes fuerint, cum futura canerent? Montani dogma, & mulierculæ fanaticæ, quas instruxit ille. De Delphicis vatibus, deque impostura, & artibus, quæ illis in usu. Ficta cum numine*

mine colloquia. Hæreticorum veteres doli: & de Valente Arrianorum duce. De Esaia, deque Ieremia. Iudæorum vesana opinio, Danielem vatibus non esse annumerandum. Inutilis aliorum contentio super ea re. Cratetis affectata pauperies. Eliæ & Ioannis Baptistæ comparatio. 333.

CAP. VIII. *De Cabala, sive, de lege, quæ scriptis mandata non est. Quo pacto resecandi sint nodi, qui in locis parallelis latent. Quam sobriè utendum sit anagogis & mystica interpretatione. De Iudæis Karraitis, quorum factio præ cæteris cordata est, & fugitans inepti arum. De opibus eorum.* 343.

CAP. IX. *Quid de Messia perceptum cognitumve habuerint Hebræi in veteri Ecclesia. Tota res illa diligentius excussa. Quam pravo more omnia ad artem & ad formulas adstringantur.* 353.

PETRI

PETRI CVNÆI
De Republica
HEBRÆORUM
LIBER PRIMUS.
CAPVT I.

De Reipublicæ Hebrææ institutis. De legislatione. Inanis Græcorum jactantia. Quis primus auctor scripti Iuris fuerit. Septem præcepta Noachi filiis data. Quid in republicâ constituendâ, nominandâ, atque in legibus sanciendis Moses spectaverit.

NON nos magnopere in his libris delectu aliquo, aut accuratâ conquisitione utemur. Libet enim, quæ sponte se offerunt, è medio arripere, &, ut aliud ex alio in mentem nobis incidit, ita quidque persequi. Condita Hebræorum respublica à divino maximoque viro Mose est, qui primus

rem in terris est aggressus omnium pulcherrimam. Equidem sic existimo, cum multa extent multorum præclara facta, quæ fama olim pro maximis celebravit, longe nobilissimam fuisse eorum operam, qui conciliis cœtibusque hominum, quæ civitates appellantur, jura atque leges dictaverunt. Nihil est enim præpotenti Deo, qui hunc mundum regit, acceptius. Sed ejus rei ut est magna atque excelsa gloria, ita multæ nationes pridem sibi illam vindicavere. Sane Græci quidem, dum ambitiose beneficia sua cunctis nationibus imputant, legum lationem inter prima ponunt. Lycurgos enim, Dracones, Solones, Zaleucos Locros loquuntur, aut si quæ alia sunt vetustiora nomina. Sed vana est ea omnis gloriatio. Gentem enim ventosissimam conticescere Iudæus jussit, Flavius Iosephus, cujus apologia usque ad miraculum erudita est, quæ extat adversus Apionem, hominem Iudæis inimicum quidem, sed tantâ nominis celebritate, atque tanto doctrinæ strepitu viventem, meritò uti *Cymbalum mundi* dictus habituque sit. *Plin. in præfat. operis.* Ostendit ibi Flavius Græcos legislatores, si cum Mose comparentur, infimæ vetustatis esse, & heri aut nudiuster-

tertius natos videri. qua enim tempestate Homerus Græculorum pater vixit, ignotum illis legum nomen fuisse, neque extare id usquam in ejus poëmate. dicta modò sententiolasq; quasdam in omnium ore fuisse, quibus plebs regeretur. aut si opus erat, principum jussa interdictaque accessisse, quę literis non consignabantur. Enimverò Moses, quod recte observatum à Flavio est, cum Homerum multis seculis antecesserit, propriam sibi hanc fecit laudem, quam postea concupivêre tam multi. Primus enim ille leges scripsit publicavitque, uti disceret populus quid jus fasque aut nefas esset, quibusque sanctionibus stabilienda ea respublica foret, quam constitui mox in Palæstinâ summus Deus jusserat. Ante Mosis tempestatem scripta jura non agnovit orbis. etsi enim antea profectò haud plane sine legibus gens hominum agitaverat; tamen neque publicis tabulis eæ, neque ullis monumentis erant consecratæ. Hujus generis septem præcepta illa fuêre, quæ Talmudici data esse filiis Noachi ajunt. ea justitiæ regulas quasdam continebant, quibus carere hominum vita nequibat. quare vis eorum tam latè ad omnes pertinuit, ut qui nescirent ea, hos in-

terficere in bello, atque ex hominum communione tollere jussi Israëlitę sint. Neque id sine causa fuit. omnibus enim belluis nocentiores videbantur, qui jus nullum accepissent. Vtique, quod Aristoteles divinitus dixit, deterrima sævissimaque est injustitia, quæ instructa armis est. hominem autem natura cum armis edidit, ratione atque prudentiâ, quibus insigniter ad perniciem valet, jura si demas. Sed dicamus de Mosis instituto. Ille rempublicam conditurus, quæ in terris sanctissima foret, summam rerum potestatem numini detulit. &, cum alii nomina alia, ut res fert, reperiant, ac monarchiam modò oligarchiamque & interdum democratiam appellent, nihil ille horum fore pro naturâ atque indole intellexit tanti imperii. Igitur regiminis quendam modum constituit, quem persignificanter Flavius adversus Apionem vocari posse θεοκρατίαν ait, quasi tu ejusmodi civitatem dixeris, cujus præses rectorque solus Deus sit. Quæ enim cunque gerebantur, hujus geri judicio ac numine professus est. Idque ita verum esse, claro documento probavit. Etenim, qui omnia ex se uno pendentia videbat, quique populum oratione flectebat in om-

omnem partem, nullam ex tam bellâ occasione potentiam sibi, nullas opes, nullos honores quæsivit. Id quod profecto vix hominis videtur. Est enim insita mortalibus imperii cupido quædam, eaque vetus hercle admodum, & cunctis affectibus flagrantior: quam, ut ego existimo, nunquam expellere ex pectore suo Moses potuisset, nisi interesse & præesse rebus gerundis Deum vidisset, cum quo in societatem regni venire extrema dementia fuisset. Iam vero, quo firmior respublica foret, ita sanxit edixitque, omnia uti ex legibus fierent. Legum autem non dominos, sed custodes & ministros, esse magistratus voluit. Quæ constituta ab illo rectissimè sunt. cum enim homines etiam optimos ira interdum aut amor transvorsos à recto agat, solæ leges repertæ sunt, quæ cum omnibus semper unâ atque eâdem voce loquerentur. Atque hoc est, quod subtiliter dixisse mihi Aristoteles in libris Polit. videtur, *legem esse mentem quandã sine cupiditate.* Accedit, quod rerum omnium primum est, æterna legum stabilitas, quibus adjicere aliquid aut demere piaculare nefas fuit. non veteres aboleri, non rogari novas contigit. observatio verò earum exacta ab omnibus rigidis-

sime est, etiam inclinantibus reipublicæ fatis. Quod plane contrà aliis in rebuspublicis fuit, quæ, legibus fundatæ cum essent, legibus eversæ sunt. nam & dominantium plerique, ut aliquid suum viderentur afferre, etiam recta commutaverunt; & sanctiones multæ per desuetudinem, plures (quod flagitiosius est) contemptu abolitæ securiora vitia fecêre. Sed nos eam diversitatem nunquam mirati sumus. Cæterarum enim gentium leges, cum hominum excogitatæ ingeniis sint, severitas pœnæ tuetur, quæ tempore plerumque, aut dominantium socordiâ cessat. at, quæ Iudæis observantur, æterni numinis scita sunt, quibus nihil longa dies aut judicum derogat facilitas. manent enim, eademque sunt, &, cum secures ac virgæ non amplius timentur, terret tamen adhuc animos religio.

CAPVT II.

Hecatæi liber singularis de Iudæa. Prudens legislatoris consilium de agrorum assignatione. Non debuisse eos occupantium esse. De lege agrariâ, deque ejus inæstimabili utilitate. Redemptio agrorum. Beneficium Iubilæi. Restitutio gratuita agrorum. Iuris Talmudici

quædam sanctiones super ea re. De Maimonide, ejusq; luculentissimis commentationibus. Quid jubilæorum celebritas servis contulerit. Per novem dies coronati servi. Saturnalium quædam imago.

SÆpe Flavius Iosephus Hecatæum Abderiten laudat, summa fide atque integritate virum, qui se Alexandro Magno olim expeditionum bellorumque comitem adjunxerat. Is, cum terras multas adiisset omni copiarum genere abundantes, nullam æquè, ut Palæstinam admiratus est. Quare librum de ea singularem scripsit, ex quo multa pro Iudæis Flavius adversus Apionem recitat. Illud ad rem, de qua dicturi sumus, pertinet, quod regionem optimam, frugumque feracissimam habitari à Iudæis ait, cujus amplitudo continet τριακοσίας μυριάδας ἀρούρων, planè ut appareat aptissimas Hebræis fuisse sedes has, in quas ex Ægypto illos transmisit numinis benignitas. Qui enim antea vitam semper in culturâ agri, atque in pecudum pastione egissent, hic jam in ubere solo egregie suis se artibus locupletare, atque in rebus esse bonis poterant. Inter initia, cum promissam pridem Palæstinam occu-

passet armis sacer populus, illico Mosis jussa secutus summus dux Iosua est. Universam enim regionem in duodecim partes divisit, atque habitandam totidem tribubus dedit. Mox singularum tribuum familias numeravit, & pro capitum multitudine certum cuique modum agri, atque proprios fines dedit. Ita provisum est, uti eadem æqualitate omnes continerentur. quæ esse prima cura bonis reipublicæ moderatoribus solet. Idem Græci postea Romanique, cordatissimi mortales fecere, colonias cum deducerent. Quod si occupatione suum quidque fecissent ii, qui primi in vacua veniissent, jam necesse fuisset pugnas motusque civium ingentes existere. Quicquid enim ejusmodi est, quod ex communi facere proprium possis, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum sit servare sanctam societatem. Porro, quoniam sapientis est non præsentia modo ordinare, sed ea statuere etiam, quæ profutura alteri seculo sunt, præclaram legem quandam Moses tulit, qua effectum est, ne paucorum opulentia quandoque cæteros opprimeret, neu mutatis studiis cives ad novas artes peregrinasque ab innoxio labore se converterent. Ea fuit lex agraria, quæ

vetuit ne quis venditione aut ullo contractu plenum dominium fundi sui transferret in alium. Nam & iis, qui egestate compulsi agrum vendidissent, redimendi jus quovis tempore concessit. & ni redemtus esset, restitui eum gratis in Iubilæi celebritate jussit. Est in admiratione hominũ scriptor maximus, Rabbi Moses Ben Maimon, is, qui Talmudicam doctrinam sepositis nugamentis feliciter complexus est divino illo opere, quod ipse משנה תורה appellat. Nunquã ita magnificè quidquam de illo autore dicemus, quin id virtus superet ejus. Fato enim quodam & sorte nascendi primus soluſque in illâ gente rectè intellexit, quid hoc sit, non ineptire. Sæpe nos in his libris eum luculentissimum testem citabimus. Atque nunc quoque in hac ipsâ re, qua de agimus, perutilis erit nobis ejus autoritas. Multa ille de Iubilæi beneficio in Halacha Schèmitta Veiobel tradidit, aitque id positum in eo fuisse, quod omnes agri ad veteres dominos redibant, etiamsi centies emtorem mutaverant. Nec eos excipit eruditissimus scriptor, quos ex donatione acceperit aliquis. nihilo enim magis retineri eos à possessore potuisse ait. Atque hoc juris Talmudici est: & rectissimum vide-

tur. Etiam illud prodit ex eodem jure Rabbinus iſte, redemtionem fuiſſe illis modò permiſſam, qui ex lucro aliquo commodove, quod obveniſſet, locupletiores facti erant. Cujus rei ratio in promptu eſt. Sanè enim, qui pecunias mutuas ad eam rem ſumebant, aut agrum unum vendebant, uti venditum alterum redimerent, legi divinæ fraudem fecêre. expectandus enim illis, hæredibuſque illorum, Iubilæus fuit, qui venditiones hujuſmodi reſcinderet. Quamquam poterant gentiles interim agnatique ſuo ære ea retrahere, quæ ſine vorſurâ redimere nequiverat inops dominus. Iubilæorum ſolennia annus quilibet quinquageſimus reduxit, cujus initium à ſeptimo menſe Tiſri erat. Nulla tempeſtas tantum gaudium publicè excitavit. Non enim modò locati rurſus in ſolido ſunt, qui prædia ſua antè alienaverant, ſed libertas quoque data omnibus ſervis eſt. Sed horum nihil fieri ante decimam ejus menſis lucem potuit, quæ jejuniis atque expiationum feſto ſacra erat. Interea temporis per novem integros dies agitata publicè quædam veluti Saturnalia ſunt, de quibus Rabbi Maimonides illud refert, quod ſcitu dignum judicavimus. Ait ille in Halacha

cha Schemitta Veiobel cap. 10: מראש
השנה עד יום הכפורים לא היו עבדים
נפטרים לגחיהן ולא משתעבדים לאדוניהם
ולא השדות חוזרות לבעליהם אלא עבדים
אוכלין ושותים ושמחים ועטרותיהם בראשיהם:
כיון שהיגיע יום הכפורים תקעו בית דין
בשופר נפטרו עבדים לבתיהן וחזרו שדות
לבעליהן: *Ab initio anni usque ad diem expiationum neque dimittebantur servi, neque serviebant dominis suis. sed nec agri restituebantur. Quid igitur? edebant, bibebantque servi, atque hilares erant, & coronam quisq; capiti suo imposuit. Mox, cum dies expiationum venisset, Senatores Sanhedrin tubis clanxêre, atque è vestigio liberi abierunt servi, & reddita dominis prædia sunt.*

Caput III.

Amplius de duplici causa legis agrariæ dictum. Ex latifundiis quàm crebræ mutationes rerum. De Romanâ republica. Lex Stolonis. Quibus artibus veteres Hebræi se sustentaverint. Quàm cautè legislator providerit ne ea deserentur. Leges divinæ de rusticatione & re pecuaria.

VErùm age, dicamus de legis agrariæ utilitate, quam Mosi propositam fuisse

fuisse suprà retuli. Sanè quod è duobus prius esse dicebamus, interfuit reipublicæ, ne in possessiones optimè positas divisasque paucorum avaritia irrumperet. Fermè enim egentiorem quemque ditior aliquis pretio expellit. atq; is, dum rura in immensum spatiis supervacuis extendit, alios necessariis excludit. Ex quâ causâ incessere interdum rerum conversio solet. Ita enim est profectò. plena hostibus ea respublica est, in qua cives plurimi, possessionibus avitis nudati, priscas fortunas votis expetunt. Hi odio rerum suarum mutari omnia studeant, neque in eâ conditione, cujus eos pœnitet, diutius quàm necesse sit, manent. Ac Romæ quidem, cum primores patrum omnia ad se trahebant, prope ut singuli possiderent trecentorum civium agros, lege Stolonis cautum fuit, ne quis plus quingenta jugera haberet. Sed statim evagata rectum ordinem fraus est. Primus enim ipse Stolo sanctiones suas violavit, damnatusque est quod mille jugerum cum filio tenebat, quem ob hoc emancipaverat. Et postea, quàm plurimi cives diversâ arte callidi sententiam legis circumvenerunt. Aliis enim ad emendum agrum submissis, ipsi possederunt. Vidit istæc, & stabi-

lire

lire legem conatus est C. Lælius, insigni sapientiâ vir & Africani Scipionis maximus amicus. sed impar adversantium factioni, cum in contentiones discordiasque iretur, ab incepto destitit. Ita in ævum erupit licentia, neque occupandi agros modus fuit. Ac tandem sanè eò deventum est, ut pauci quidam totam Italiam vicinasque provincias velut proprium patrimonium tenerent. Hujus rei testimonia recitare, quæ plurima ubique extant, nihil nunc necesse est. Altera, quam attigimus, legis agrariæ ratio fuit, quod summus Moses relangueſcere civium animos, eorumque remitti virtutem noluit. Etenim, cum de maioribus eorum illustrissimus quisque pastoritiam vitam vixisset, atque in agris versatus fuisset in aliquo opere faciundo, omninò omnium vitiorum atque incommodorum una cautio fuit atque una provisio, uti ne posteri aliquando ea studia desererent, quæ & multùm homines locupletant, & principia habent eadem quæ mundi sunt. Sanè verò nimis citò deserta ea studia neglectaque fuissent, si lex omnia coëmere omnibus, atque agros adjicere agris permisisset. Ita enim fit plerumque; qui tot pascua tamque latos fundos

sine

sine modo tenent, honestissimi laboris munia, aliis quæ committunt, obire ipsi fastidiunt: & ut plurimùm, qui operam illis locant, peregrini ignotique coloni sunt, & mancipia ære empta. Ipsa plebs civium, aliena rura colere indocilis, ex agris intra muros correpit, urbanas res ut usurpet. Ibi in otium se transdit, corrumpiturque, & arte molli atque illiberali inertem vitam tuetur. Profectò, ex quo tempore Romani proceres, iique haud multi, sua rura fecêre, quæ plurium fuerant, ingens rusticationis oblivio non cives modò, sed omnes liberos homines cepit. qui enim agri Curios, Fabricioque & Catones viderant, vinctis fossoribus colebantur, & compedibus sonuêre. Conqueritur Marcus Terentius Varro in libris de re rust. magnanimos Romuli nepotes *non in segetibus amplius & vinetis, sed in theatro & circo manus movere.* Iam enim falcem & aratrum reliquerant, qui olim *annum*, inquit, *ita diviserant ut nonis modò diebus urbem adirent, reliquis ut rura colerent.* Ita descitum à majorum institutis est; quæ dum servabant, utrumque sunt consecuti, ut & agros fœcundissimos haberent, & ipsi essent quàm optimè animati. His malis tantis talibusque,

quæ

quæ rempublicam, ceu quædam pestes, invadunt, benè atque sapienter obviam ivit consultissimus rerum divinarum humanarumque Moses, cum redemptionum privilegia, atque insuper jura sancivit Iubilæi. Non habuit autem ullam iniquitatis speciem istæc lex; neque fraus omninò fieri emptoribus potuit. servata enim profectò semper in agrorum venditionibus ratio Iubilæi fuit, &, ut ille propius longiúsve aberat, ita pretium dependebatur majus minusve. Hoc illud est quod in Levitico capite 25. dicitur: *Cum vendideris aliquid proximo tuo, aut cum emeris à proximo tuo, ne circumvenite alter alterum. Secundum numerum annorum, à Iubilæo eme à proximo tuo, & secundum numerum annorum, quibus fruges provenerint, vendat ille tibi. Pro multitudine annorum auge pretium emptionis, & pro paucitate annorum minue pretium emptionis. Nam numerum proventuum ille vendit tibi. Ne igitur decipite alter alterum.* Quod si verò ante Iubilæum redimere fundos suos dominus cuperet, pariter constitutum summâ æquitate fuit, ut de pretio, quod reddendum erat, tantum retineretur, quantum è fructibus emptor percepisset. Quibus quidem rebus planè

planè effectum est, ne aut damnum ex possessionũ restitutione quisquam sentiret, aut facilè ex civium animis veterum studia, honestissimæque artes exolescerent. Vtique illud dubitari non potest, qui populus qualisque fuerit, cui disciplinam & institutaMoses præscripsit. Ex tot enim, quas tulit, legibus, cum pleræque ceremonias religionesque & justi injustiq; præcepta continerent, cæteræ, quæ ad facultates rerum copiasque, atque ad ea opera pertinent, ex quibus aliquid acquiritur, omnes ejusmodi sunt, ut de rusticatione aliquid singulare tradant. Quam sollicitè in Pentateucho docetur populus, quando requiem terræ dare, & intermittere sementem oporteat; quid in messibus, inque vindemiis servandum sit; quoto anno fructum capere ex vinea fas sit? Ad hoc, qua severitate interdicitur, ne diversa semina uni agro mandentur; tum ne admissura animantium fiat, quæ disparis generis sint, neve eæ animantes sub eodem jugo sint? Cætera de fœtu pecudum, de primitiis frugum omnium, deque decimis earum, penè infinita sint. Eorum plenior tractatio in opere Talmudico est, & sextam partem ejus, aut amplius, tenet. Complexus autem omnia Rabbi Mai-

bi Maimonides est illo libro quem ידעים appellat, in quo rerum occultarum mira secreta sunt.

Caput IV.

In quas angustias Iudæos septimus quisque annus detruserit. Alexandri Magni beneficium huic genti concessum ob quandam vaticinationem. Iudæorum rara olim commercia cum exteris gentibus. Quanta in ignoratione rerum Iudaicarum versati sint Græci. Aristotelis commentum de Callanis Indiæ sapientibus. Quibus rebus vita moresque civium immutentur. Qui cives optimi. Nullis artificiis Iudæos celebres fuisse; idque in laude positum. De opificibus.

TAles leges, atque ejusmodi scita Hebræi acceperunt, qui res opesque omnes sitas in agris habebant. Ex illis vel abundantia eorum, vel egestas pependit. Cujus rei ego maxima documenta hæc habeo, quod quoties pecunias illis exteri reges imperaverunt, septimus quisque annus ita in angustum oppidò omnes eorum copias coëgit, pene ut pendere eas nequiverint. Erat enim edicto legis cautum, ne per illam tempestatem terra coleretur,

néve quis fruges tunc colligeret, quæ omnis pecuniæ fundamentum erant. Alexander Macedo, cum Ierosolymæ ex Danielis libro didicisset dominationem Persarum olim Græco ab homine destruendam, lætus vaticinio, quasi ad se pertineret, Iudæos petere ingens beneficium aliquod jussit. Ibi illi significavêre, nihil sibi posse majus dari, quàm uti ne rex septimi anni tributa exigeret. idque impetrarunt. Mox id Samaritanis, multa pro se cum dicerent, negatum est. Sed omnium eorum, quæ de hoc genere afferri possunt, nihil luculentius est, quàm Apioni quod Flavius Apolog. 1. respondet pro popularibus suis, cum inquit; ἡμεῖς ὅτε χῶραν οἰκοῦμεν παράλιον, ὅτε ἐμπορίαις χαίρομεν, οὐδὲ ταῖς διὰ τούτων πρὸς ἄλλους ἐπιμιξίαις· ἀλλ' εἰσὶν μὲν ἡμῶν αἱ πόλεις μακρὰν ἀπὸ θαλάσσης ἀνῳκισμέναι, χώραν δὲ ἀγαθὴν νεμόμενοι, ταύτην ἐπονοῦμεν. *Nos neque terram habitamus, quæ mari vicina est, neque negotiationibus gaudemus, neque earum causa nobis consuetudo cum aliis gentibus est, sed sunt urbes quidem nostræ procul à mari sitæ: ipsi autem nos regionem bonam incolentes, hanc cum labore exercemus.* Enimverò, cum diversas gentes ita negotiatio sociaverit,

ut

ut quod genitum est usquam, id apud omnes natum esse videatur; soli Iudæi intra terræ suæ fines, iis contenti opibus, quas illic natura producebat, vitam procul cõmerciis agitavêre. Non enim maria transibant, neque exteros visebant, & ab his non visebantur. Ex quo illud contigit, ut multa de illis falsa prodiderint Græci, aliique. Perpaucis enim notæ res eorum erant. Vnus Hecatæus comperta scripsit. Cæteri, ut famâ quidque & auditione acceperant, ita literis celebraverunt. Quod quàm periculosum in omni historia condenda sit, vel ex illo potest existimari, quod Ephorus, clarissimus olim scriptor, Iberiam, quam non viderat, unam esse urbem dixit, admodum medius fidius ridiculè. Non enim civitas, sed magna Hesperii orbis pars erat, & multis habitata populis est. Portentosum est, & cum summa insciția conjunctum, quod Aristoteles apud Clearchum autumavit, Iudæos esse ab Indiæ sapientibus propagatos, sed nomen mutavisse. quippe philosophos illos, qui apud Indos Callani appellantur, in cava Syria Iudæos dici. Pudet me anilitatis, adeò hoc nihili est. Sed quod additum ibidem ab Aristotele est, neque supra fidem videtur, & ap-

primè glorioſum ſacræ genti eſt. Veniſſe enim ad ſe, in Aſiâ cum eſſet, Iudæum quendam ait, tantâ eruditione atque ſcientiâ hominem, uti præ illo omnes Græci, qui aderant, trunci eſſe & ſtipites viderentur. Vtique hoc longè pluris eſt, quàm de gentis origine quod imprudenter retulit. ſatius enim erat, non attigiſſe eam, propterea quod incognita alienigenæ erat. Ac mihi quidem ſanè Flavius etiam gloriari de Iudæorum obſcuritate videtur, cum in mediterraneis locis eos agere, & nullum aditum eſſe ad eos mercatoribus peregrinantibuſque ait. Ita enim diutiſſimè incorruptos mores ſervavêre, nihilque rerum ad copiam & luxum pertinentium illatum eſt, quibus perire potentiſſimi populi ſolent. Cætera verò ſic ſubjicit idem Flavius; ut penitus ſuperbire eum dicas: *χώραν ἀγαθὴν νεμόμενοι, ταύτῃ σπουδάζομεν, terram fertilem habitamus, atque in cultura ejus operam ſumimus.* quaſi nihil majus eſſe meliuſve poſſit. Recitat Ariſtoteles in libris Polit. edicta quædam ab antiquiſſimis legumlatoribus compoſita, quæ Moſaicis pene ſimilia ſunt. Nam Oxylus quidem, Eliorum rex, prædia agroſque vetuit ad mutuam pecuniam opponi: & Locrenſibus in-

ter-

terdictum fuit, ne avitas possessiones venderent. Quæ illuc pertinere maximus autor naturæ verique ait, uti ne populus cultionem agrorum desereret. Quare toties illud iterat in Politicorum libris, optimam esse rempublicam, cujus cives ex re rusticâ atque ex pastione vivũt. Cujus rei hanc causam reddit, ὅτι πολιτεύονται κατὰ νόμους. ἔχουσι γὰρ ἐργαζόμενοι ζῆν. ἃ δύνανται σχολάζειν. *quia ex legibus seque resque suas regunt. habent enim ex opere suo quantum satis ad vivendum sit. Et tamen eis otiosis esse non licet.* Cæteras respublicas, quas opificum & mechanicorum multitudo tenet, longè deteriores judicat, cum ignava eorum hominum desesque vita sit, neque ullum opus eorum cum virtute congruat. Ex quo jam fit, uti intelligatur, vanum frigidumque esse, quod Iudæis exprobrari vulgò Flavius ait, τὸ μὴ παρ' αὐτοῖς εὑρεταὶς ἔργων παραγγεῖν, *nullos in ea gente autores novorum operum, artificiorumque exstitisse.* Laus equidem Iudæorum hæc maxima, non probrum est. Qui enim pulchrum esse potest ea invenisse, quæ exercere illiberale est; Vtique opifices omnes in sordidâ arte versantur: & bene eos Aristoteles servitutem quandam servire, sed limitatam,

ait, propterea quòd manibus eorum atque operâ non, ut mancipiorum, ad res omnes, sed ad unam quandam utimur. Adeò nihil ingenuũ officina habet: in quâ hoc insuper mali in est, quod corpus animumque virilem effœminat. Quare in rebusp̃ublicis olim recte constitutis, quod solertissimus magister ait, opifices civitate donati non sunt, sed peregrini erant, & corpus veluti sepositum à cæteris ordinibus fuêre.

CAPVT V.

Aegyptiorum odium in Hebræos, & vera causa ejus. Aegyptii ignavis artibus curisque dediti. Qua solertia Sesostris eviraverit civium animos. Lex Aegyptiorum de opificum artibus ad haredes cujusque transmittendis. De Niliaca plebe, quæ in servitute. De sacerdotibus. De pastoribus, qui tertia Ægyptiorum pars, & quam formidati cæteris Ægyptiis semper fuerint. Superstitionem Ægyptiorum nihil feciſſe ad pastoritii generis odium: & male id existimari. Plebem Ægyptiam non ita agricolas execratam fuisse, ut pastores. Et causa ejus rei.

EQuidem illud etiam animadverto, in expedito jam esse, cur invisi semper

per Ægyptiis Iudæi fuerint, non cum Ægyptum modò hospites incolerent, sed postea quoque, cum suas sibi sedes, atque propriam rempublicam haberent in propinquâ Palæstinâ, quam terram à meridie Ægypto terminari Cornelius Tacitus refert. Enimverò id odium nulla adeò ex re magis fuit, quàm ex vitæ studiorumque dissimilitudine. Omnis enim Ægyptiorũ plebs sellulariis artibus dedita, sub umbra urbium intra mœnia desidebat. Nec deerant, qui officia virilis sexus perverterent, & lanam etiam telamque tractarent. Atque erant quidem illi suopte ingenio satis ad mollitiem proclives: sed auxit malum postea enervavitque porrò eorum animos Sesostris rex, qui id studio sibi habuit, solertiamque & consilia, ut ipsi Ægyptii perhibent, à Mercurio didicit. Accessit lex quoque, quæ modum ingeniis finesque poneret. Nulli enim opifici aliam artem exercere, nisi paternam, licuit. Iuvenalis quidem, cum Crispinum, hominem malis artibus & gratia Cæsaris ad summa provectum, verberare grandi convitio vult, *partem Niliacæ plebis* illum, & *vernam Canopi* appellat. Ita enim existimatum est, sacerdotes illic liberos esse, opifices verò, qui

vulgus erant, servire. Sed ab illo vulgo tamen multùm diversa fuit tertia quædam populi pars, quæ seorsim in campestribus Ægypti, ac prope paludes degebat. ii pastores fuêre, actuosi illi quidem gnavique, sed cunctis Ægyptiis execrabiles, propterea quod ignaviam eorum semper solicitam tenebant. Sæpè enim ingentes motus dabant, atque interdum etiam reges sibi creârunt. Quare Romani postea, cum reliquam Ægyptum facilè in fide retinerent, præsidium validius in illis locis ponere, ubi id hominum genus erat, coacti sunt. Cum omnia ratione animoque lustrâris; hæc una res ab omni ævo pastoribus infestos Ægyptios fecit, quod vires eorum vegetosque & acres spiritus homines sedentarii opificesque non ferrent. Ipse Parrho, cum crescentem Israëlitarum multitudinem contundere atque deprimere constituisset, tali usus oratione ad suos est: *Israëlitæ robustiores nobis sunt. quare adeste, callido consilio illud agamus, ne augescant, neve orto bello hostibus se nostris jungant, aut ipsi arma in nos capessant.* Id ego rectum verumque existimo. Neque enim illis hercle assentior, qui causam publici odii ex superstitione arcessunt, quasi scilicet Hebræos homines, pecudum armen-

armentorumque pastores, ferre ea natio nequiverit, cujus pars hæc oves, illa capras, alia alias quadrupedes mactare verita est, queis inesse quiddam divinum credebatur. Sed ea ratio mirè improbabilis est. Quid enim respondebunt profectò, cum aut ex Pentateucho discent, Parrhonem immanes pecudum greges habuisse; aut cum tot proferri historiarum monumenta videbunt, ex quibus constat, magnam Aegyptiorum partem, quod jam diximus, in pascuis atque inter pecora vixisse? & tamen celebre illud in sacro codice est, *Omne pastoritium genus Ægyptii horrescunt*. De agricolis non idem proditum est. neque poterat hercle eorum virtus formidari, aut invisa esse, quæ prorsus nulla erat. Omnes enim spes inertissimi mortales non in manibus suis neque in rusticationis industriâ, sed in Nilo posuêre. Alebat augebatque segetes exundans amnis, neque fertilitatem modò terrarum, sed ipsas dabat. quippe multo limo turbidus fluens novos agros subinde apposuit prioribus, atque Aegyptum annuo incremento semper ultra tulit. Ita miratus opes suas arvaque recens nata colonus est, quæ sine labore, & inopinanti obvenerant.

CAPVT VI.

Quando Iubilæi desierint celebrari. Cur illorum habitam esse rationem in annis sabbaticis numerandis dixerit Maimonides. Rejecta Maimonidæ opinio.

DE Ægyptiis, quo ingenio fuerint, & quantum à vicinis Iudæis discrepuerint, dictum satis est. Nunc à diverticulo redeundum est ad Iubilæum, de quo agere cœperamus. Intelligendum est igitur, cum lata à Mose lex agraria de possessionum restitutione sit, observatam eam summâ religione fuisse usque ad sanctuarii prioris desolationem, quæ facta per Assyrios est. Exin deserta incultaque Palæstina jacuit per annos septuaginta. id quod prædictum à vatibus erat. Postquam autem longa dies fatalem illum temporis orbem perfecerat, redierunt quidem in sedes suas Iudæi, extructumque templum de integro est, sed nunquam postea revocata lex agraria fuit, neque celebrata amplius Iubilæorum solennia sunt. Quare nec mancipiis libertatem amplius jam dedit annus quisque quinquagesimus, neque dominis reddidit amissas venditasq; possessiones. Hæc solerter animadversa & notata

notata à Talmudistis sunt, & permultum momenti habent. Sed omnino implicatam habere atque involutam rationem videtur, quod Rabbi Maimonides in lib. septimo suæ יד in Halacha Schemitta Vejobel, cap. 10, tradidit, ubi sic inquit; אף על פי שלא היו יובל בבירת שני מונין היו אותו כדי לקדש שמיטות: *Etsi Iubilæi nulli fuêre ex quo tempore templum secundum stetit, tamen numerare eos mos fuit propter remißiones, quæ ex lege fiebant.* Nisi hoc enodaverimus, falsum videbitur quod de Iubilæi abolitione dicebamus. Quare explicanda nobis Maimonidæ sententia est. Enimverò maximus Rabbinus Iubilæorum supputationem accuratissimè semper factam etiam novissimis temporibus ait, non hercle quod aut servi omnes tunc manumitterentur, aut agri redirent ad veteres dominos, sed quod ex numeratione eorum penitus pependit ratio anni cujusque septimi, in quo alia quædam remissionum jura observari lex jusserat, quæ non antè cessavêre, quàm eversa à Tito deletaque Iudæorum respubl. esset. Vtique earum שמיטות *remißionum* duplex genus fuisse, constat. Nam & terra septimo anno inculta jacuit, & condictio certi non dabatur ex mutuo. Sed qua

ratione

ratione annum septimum pependisse ex quinquagesimo dixerit Maimonides, libet ex ipso audire. Is ita infit: שנת יובל אינה עולה ממנין שני השבוע אלא שנת תשעה וארבעים שמטה ושנת חמשים יובל ושנת חמשים ואחת התלת שש שנים של שבוע וכן בכל יובל ויובל: Nos, ne Hebræa vertendo, Romanam orationem deformemus, summatim modò sententiam recitabimus maximi Rabbini. Nimirum illud ait, anni septimi numerationem non ab anno quinquagesimo, sed ab eo, qui post hunc primus est, inchoari, atque eandem sic deinceps nulla intermissione fieri donec perventum sit ad quadragesimum & nonum, qui propterea sabbaticus fuit, quod septies septenus erat. Mox autem eum, qui sequebatur, quinquagesimum, in numero septenorum non fuisse, sed supputationem eorum rursus initium à quinquagesimo & primo habuisse. Ex quo manifestum est, cur doctissimus Iudæorum dixerit non numerari quidem quinquagesimum, sed celebrari tamen. absque illo enim foret, continuandam septenorum numerationem fuisse significat, quam nunc interjectio quinquagesimi interrumpit. Atque hæc quidem Maimonidæ, & aliorum, qui Talmudicos

sequun-

sequuntur, sententia est. Quæ quàm vera sit, iis exquirendum relinquimus, qui Chronologiæ subtilissima momenta pervestigant. E quibus sunt profectò quidam summâ doctrinâ atque excellenti ingenio viri, qui Iubilæorum celebritatem incidere in annum quemque quadragesimum & nonum existimant. Ex quo fit, ne duos sabbaticos annos continuari, & septenorum numerationem toties interrumpi necesse sit. Et sunt, qui ex Rabbi Addæ Calendario conficere se, id quod volunt, posse autumant. Sane quod quinquagesimus annus in sacro codice Iubilæus appellatur, id verò in neutram partem aliquid momenti habet. Nam & persæpe popularis usus, quem penes norma visque omnis & arbitrium loquendi est, septimanam octiduum appellat, & olim maximi scriptores passim Olympiadem, quæ quatuor annorum spatium continet, quinquennium vocavêre. Equidem nos nostrâ non magni interesse putamus, utra sententia rectior sit. ostendere enim duntaxat propositum nobis fuit, Iubilæorum solennia nec inutiliter à summo legislatore instituta esse, & post templi prioris excidium nunquam in usu fuisse. Quod tamen ad hanc ipsam rem,

quam

quam in transcursu attigimus, attinet, planè sic judicamus, multas gravesque causas esse, cur viri hac ætate nostra incomparabiles Iubilæum spacio annorum quadraginta & novem, non quinquaginta absolutorum definierint. Quare opinionem eorum neque improbamus, & profectò admittimus etiam. In Levitici capite vicesimo & quinto tam de Iubilæo, quam de anno septimo agitur, cautumque illic expressis verbis est, ne etiam in Iubilæis tellus coleretur. Quæ profectò sanctio videri supervacanea possit, siquidem Iubilæorum jura annus quisque quadrageſimus & nonus recepit, qui per se sabbaticus erat. quippe septies septenus fuit. Et nobis quidem in promptu est quid rectissimè dici contra possit. putamus tamen hanc esse causam, quæ Maimonidem in hallucinationem quandam impulit. Illud certissimum est, Hebræos semper non Iubilæum modò, sed etiam septimum quemque sabbaticum annum à Tisri numerasse, qui anni sacri erat mensis septimus. planè ut septeni omnes Iubilæique iisdem mensibus inchoati finitique sint. Ex quo apparet nullam reperiri mediam viam posse. Necesse enim jam est uti aut quinquagesimus quis-

quisque annus fuerit Iubilæus, aut is hercle, qui quadragesimus & nonus est. Sed nobis posterior sententia pluris est. neque assentiri hic Maimonidæ possumus, cujus tamen scita omnia religiosissimè alibi amplectimur. Est enim is vir profectò, qui paucos quosdam hujusmodi atque exiguos errores magnis divinisque virtutibus ubique, & lectissimarum rerum præceptionibus compensat. Ac Iudæi quidem illi, qui ad agrorum restitutionẽ spatio quinquaginta annorum absolutorum esse opus ajunt, curiosè tradiderunt, quid inter Iubilæum atque inter septimum quemque annum intersit. Ita enim ex eorum sententia Maimonides ait in capite decimo, in Halacha Schemitta Vejobel: יתירה שביעית על היובל שהשביעית משמטת כספים ולא יובל: ויותר יובל על השביעית שהיובל מוציא עבדים ומשמיט קרקע: יובל משמיט קרקע בתחלתו ושביעית אינה משמטת כספים אלא בסופה: *Habet illud septimus annus præ Iubilæo, quod debita remittit; Iubilæus autem illud præ septimo, quod servos è dominorum potestate educit, & restituit agros. Etiam hoc discrimen est, quod quinquagesimus annus in principio restituit agros, septimus vero debita non remittit nisi in fine.* Ex his illud quidem, quod conditionem certi

certi in Iubilæis dari ex mutuo negat, falsum est, siquidem Iubilæi omnes in annum quadragesimum & nonum inciderunt. Cætera probari admittique possunt, & omninò speciem veri habent. Nam & quædam quadragesimus nonus annus propria ex jure Iubilæorum habuit præ cæteris septenis, & ea ipsa paulò aliter usurpata fuere quàm quæ in eundem annum ob hanc causam concurrebant quòd inter septenos esset. Iubilæi celebritas, uti antè dicebamus, exordium ab anno vetere & naturali sumpsit, cujus primus mensis September est, is, qui sacri anni septimus erat. Quare Talmudicis, qui initio anni, decimo die primi mensis restitutionem fieri agrorum ajunt, nihil sacer codex repugnat, qui eum mensem passim septimum appellat. Est enim diversitas ea ex duplicis anni constitutione. Postremò illud Maimonides refert: דין היובל בשביעית הארץ ודין השמטה אחד הוא לכל דבר: כל שאסור בשביעית מעבודת הארץ אסור בשנת יובל: וכל שמותר בשביעית מותר ביובל: *Eadem ratio usquequaque est tam Iubilæi, quàm septimi anni, quod ad intermissionem agriculturæ attinet. Quicquid in terræ cultione fas aut nefas est anno septimo, id prohibitum quoque aut licitum est in Iubilæo.*

Non

Non est hæc Iudæorum conjectura, aut probabilis opinio, sed certa indubitataque veritas, quam legislatoris vox confirmat in Levitici capite vicesimo & quinto. Quod si jam verum foret, quod placuisse Talmudicis diximus, duos annos sabbaticos absque intervallo fuisse celebratos, magna profectò & singularis atque nimis inusitata res hæc esset. Etenim, cum totum hoc sit à præpotente numinis vi profectum, quod in Palæstina sextus quisque annus tam uberes proventus dedit, ut septimus, quem agrorum quieti & sabbatismo lex destinaverat, nullam pareret famem, jam profectò longè majus hoc miraculum fuerit, cum duo hujusmodi anni sabbatarii concurrerent. Neutro enim sementem facere aut arare fas fuisset. Itaque, quod dicitur in Levitici libro, *Benedictionem meam dabo vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum*, omninò geminari hæc numinis benignitas debuisset, cum duorum annorum, quadragesimi noni & quinquagesimi sabbata ex diversis ambo causis continuarentur. Non enim trium jam, sed quatuor annorum segetibus unum illum annum sextum indui necesse foret. Quorum nihil aliis gentibus ter-

risque, quæ sunt usquam, concessum est. Vtique scimus non exiguum esse quod Palæstina cœlo debuit : atque adeò fatemur, etiam multa illic contraria naturæ legibus iviſſe; sed tamen, cum tanti & tam frequentis miraculi magnitudo nullis vatum testimoniis, neque historiarum prodita monumentis sit, haud committendum profectò nobis est, ut credulitatis vitio temerè quidlibet obstupuisse videamur.

CAPVT VII.

Trina consecratio Palæstinæ & urbium ejus. De jure urbium. Lex de prædiis urbanis. De urbe Ierosolyma, deque ejus privilegiis. Agrippæ impium facinus, & super eo Iudæorum legatio ad Neronem. Quibus ceremoniis proferri urbis Ierosolymæ pomœria oportuerit. Ius muniendi à quibus datum. Quando rempub. suam penitus Iudæi amiserint. De oppidis, quæ asyli jus habebant.

AIunt Talmudici, qua tempestate Iosua Palæstinam intravit, consecratas ab illo omnes urbes fuisse, quæ muris cinctæ erant. Eam ipsi appellant כניסה ראשונה *ingressionem primam.* Sed, cum

cum abductus à Babyloniis populus ſacer trans Euphratem eſt, impurata regio ab impiis fuit. Quare mox, reverſis in ſedes ſuas Iudæis, Ezras ſummus populi præſul ſolenni actu ſanctimoniam urbibus reddidit, eaque erat ביאה שניית *ingreſſio ſecunda*. Tandem Cæſar Titus, cum penitus res Iudaicas affixiſſet, omnia rurſum prophanavit. Atque hîc Talmudicos ſuavis error ludit. Meſſiam enim adhuc exſpectant, qui, ut ipſis placet, regnum Palæſtinæ invadet, ſacrabitque urbes. Eam fore ajunt ביאה שלישית *ingreſſionem tertiam*. Ad hoc, tradunt iidem, quibus in rebus poſita urbium religio ac ſanctimonia fuerit; tum & quare vicorum villarumque nulla facta conſecratio ſit. Quæ exequi longum foret. Cum oppida Palæſtinæ ſingulis tribubus aſſignarentur, etiam Levitæ ſuas urbes accepêre, quas incolerent. At ipſa regio agrique & poſſeſſiones ita dividebantur, nulla ut pars data illis ſit. Decimas enim duntaxat primitiaſque & victimas cunctas habuêre. inde vita illis, inde opes copiæque abunde erant. Sed illa in hoc genere præſcriptio cautioq; valet, quam Rabbi Maimonides adjungit, cum ſic inquit in capite decimo & tertio, in Halacha

Schemitta Vejobel. יזאה לי שאין הדברים אמורים אלא בארץ שנכרתה עליה ברית לאברהם ליצחק וליעקב וירשוה בניהם ונתחלקה להם: אבל שאר כל הארצות שכובש מלך ממלכי ישראל הרי הכהנים והלויים באותן הארצות כגל ישראל; *Videtur mihi hoc omne, quod diximus, locum modò habere in illa terra, quæ ex fœderis religione Abramo & Isaco atque Iacobo data est, quæque tenetur à filiis eorum, & divisa inter illos fuit. At in aliis regionibus, quas armis subigunt reges quidam Israëlitici, non deterior est sacerdotum & Levitarum conditio, quàm caterorum Hebræorum* De ædibus urbanis lex ejusmodi lata fuit, uti, qui domum vendidisset, redimere eam posset intra annum; pòst autem, illo elapso, emptor eam propriam haberet. Sed nec propinquis jus redemptionis fuit, & Iubilæi beneficium hîc nullum erat. Redditum autem emptori à redemptore pretium integrum fuit, etsi vendita traditaque domus ante plures menses erat. Etiam ultimo anni die redimere ædes suas dominus potuit. Et, si abesse eum, cui vendiderat, aut dolo latitare cerneret, curiam adiit, atque ibi, senatu coram, pretium, quod acceperat, posuit, egressusque diffregit fores, atque ædes suas intravit. Hæc à Talmudistis sic definita

nita sunt. In Levitarum urbibus haud idem juris fuit. Planè enim de ædibus illorum sancitum est, quod de agris deque possessionibus rusticis omnium Hebræorum constituisse Mosen diximus. Quare nec redimendi jus hîc anno terminabatur, & Iubilæus restituebat quicquid redemptum antè non esset. Inter omnes urbes insigniter eminuit unius Ierosolymæ sanctitas, atque etiam perpetua mansit, ut Talmudici tradunt, ex quo semel eam urbem maximus rex Salomo dedicaverat. Itaque, quod postea consecravit eam rursum Ezras, fuisse supervacuum ajunt, siquidem prophanata neutiquam fuit, cum cæteræ urbes pollutæ sacrilegorum manibus sunt. Ex quo illud fieri iidem tradunt, uti in Ierosolymæ eversæ cineribus sacra facere atque victimas epulari fas fuerit. Sed quanta loci religio esset, ii Iudæi significavêre, quibus Hadrianus Imperator permisit, uti semel in anno adirent sanctæ urbis deformes reliquias, atque ibi lugerent deplorarentque miseram gentis suæ sortem. Hæc urbs nulli tribui assignata sorte est, sed communis omnium fuit. Quamobrem teneri illam eâ lege negant Talmudici, quæ vitulæ mactatione expiari cædem jusserat, quæ clam

patrata in tribuum finibus esset. Illud verò non ex superstitione, sed ex vetere & probo gentis instituto est, quod Rabbi Maimonides narrat. Ait enim, si qui cœnaculum haberent paulò sublimius, unde aspici Sanctum Sanctorum posset, fas illis quidem fuisse semel in hebdomadâ illuc ascendere uti sarta recta omnia servarent, at sæpius, aut ob aliam causam, non licuisse. Ea est sententia verborum istorum in Halacha Beth habbechira, cap. 7: מקום שהיה בעליה מקוון על קדש הקדשים אין נכנסין לו אלא פעם אחת בשבוע לידע מה הוא עליה לחזק ברקו: Sanè vehementer cives suos Agrippa rex offenderat, cum ex palatii editâ parte prospectaret identidem sacram templi sedem, cerneretque ex alto quid illic intus fieret. Id enim flagitium ingens arbitrati Iudæi, murum celsum extruxêre, qui regem intueri non sineret quæ in templo agebantur. Ac mox decem legati, cum Ismaële pontifice & Elcia sacri ærarii quæstore, missi Romam sunt, qui precibus à Nerone peterent, uti confirmaret quod populum facere religio subegerat. Quod autem Hecatæus Abderites apud Flavium ait, quinquaginta stadiorum fuisse Ierosolymam, quam incolebant centena vicena millia

lia hominum, haud magni noſtrâ intereſſet ſcire, niſi de proferendis ejus pomœriis jus quoddam eſſet ſingulare conſtitutum, quod ex Talmudicis libris prodidit Maimonides in Halacha Beth habbechira ca. 10. Id autem ejuſmodi erat. Cum amplianda urbs eſſet, magnus ſenatus Sanhedrin, rexque, & vates unus oraculum, quod Vrim & Tummim vocant, conſuluerunt. Mox, poſtquam illi de interpretatione divini reſponſi inter ſe conſenſiſſent, ſenatores Sanhedrin carmina duo, in queis erat gratiarum actio, recitarunt, panesque totidem fermentatos ſumpſere, atque egreſſi illicò cum cymbalis nabliiſque & cytharis, ad cujuſque vici flexuras atque ad cippos omnes, qui erecti in urbe erant, conſtiterunt, effatique illa verba ſunt: ארוממך יהוה כי דליתני *Exaltabo te domine, quoniam exaltaſti me.* Tandem, cum ad locum illum veniſſent, quem idcirco conſecrari oportuit quod pomœriorum finis eſſet futurus, ſubſtitêre omnes, atque illic ex duobus panibus, quos decantato gemino carmine acceperăt, unum comederunt, alterum uſſerunt flammis. Hæc ſic à majoribus accepta Talmudici literis conſignavêre. neque à vero abludunt, cum ſimilia, & penè eadem

sint, quæ in Nehemiæ commentariis exstant in capite duodecimo. Post tamen, cum oppressa à Romanis Iudæorum erat libertas, planè hæc pomœriorum prolatio non ex magni concilii arbitrio, sed ex voluntate populi Romani pependit. Proditum verò etiã illud à Cornelio Tacito est, Iudæos jus muniendi magna pecuniæ vi emisse. Ex quo apparet reginam illam urbium Ierosolymam fuisse conditione eadem cum municipiis omnibus, quæ sub ditione Romanâ erant, quorum muros nec refici sine principis vel præsidis auctoritate, nec aliquid eis conjungi vel superponi potuisse Vlpianus Iurisconsultus ait in li. 9. §. 4 ff. de Rerum divis. Vtique Claudius Cæsar, cum ingentis magnitudinis murum exstrui circum Ierosolymam intellexisset, Agrippę novum opus nuntiavit. & rex verò statim dicto audiens fuit, susceptamque rem omisit. Ajunt Talmudici, illud eximiũ habuisse Ierosolymam præ cæteris Iudææ oppidis, quod nulla domus illic post annum propria emptoris fieret. Sed nec hortos ibi nec viridaria plantari fas fuisse ajunt. Quod enim Hecatæus de templi ambitu scripsit, id ipsi verum esse de totâ urbe tradunt. Cadavera, quæ aliquò transferebantur, admissa

admissa in eam civitatem non sunt, ne funestarentur sacra ejus. Sepulchra autem duo duntaxat ibi fuêre, unum Davidis, alterum Oldæ, quæ structa à priscis vatibus ajunt. Major tamen religio Levitas divinxit, qui non modò in urbibus suis, sed etiam in agro suburbano sepelire mortuos vetabantur. Itaq; extra limites finesque regionis suę ex edicto numinis aliquantulum loci à cæteris tribubus accepêre, in quo defunctorũ ossa quiescerent. In reliquis oppidis sepeliri aliquem haud nefas fuit, si modo septem viri boni assentirentur [1]. At semel ubi elatũ urbe cadaver erat, recipi illud intra muros non licuit, etiamsi cives cuperent universi. Ierosolyma, ut antè diximus, caput genti, religionumque & ceremoniarum sedes fuit. Quare, eversa illâ, periit reip. Iudaicæ forma tam civilis hercle quàm sacra. Sanè quod Flavius ante urbis excidium auditam ex templi penetralibus ait vocem ejusmodi, *Exeamus hinc*, id mihi non aliud significavisse videtur, quàm delendam rempublicam, adimendumque sceptrum, quod datum olim sacræ genti erat. Non diu enim postea ordines, functionesque, & ritus, atque le-

[1] *Rambam in Hal. beth habbechira, c. 10.*

ges pleræque ceſſavêre, ſecutaque ingens confuſio, vaſtitas atque diſtractio eſt. Iam primum Haſidæorum ſanctiſſimum collegium, quod à prophetis originem duxit, nullum amplius fuit, quia eorum inſtitutum erat, templum quotidie adire, & voluntarios ſumptus in ſacrificia, atque in porticus & in muros ſanctuarii facere. Cumque Moſes certi cujuſdam doni oblationem alienigenis imperaſſet, qui in Iudaiſmum ſe transderent, differri deinde penitus ea res cœpit in illud tempus, cum ſanctuarium tertium, quod adhuc expectant, extrueretur. Nec verò fratrum viduas amplius, quæ ſine liberis ſunt, uxores ducunt. Et paſchatis ſolenne nunquam ex illo tempore celebratum rite eſt, ſiquidem præceperat lex uti in illo loco id fieret, in quo Deus elegiſſet ſedem ædis ſuę. Tantum unius urbis caſus potuit. omnia mutavit pervertitque, & maximi rempublicam populi in ruinas egit. De cæteris Iudææ oppidis nihil magnopere in mentem nobis incidit, quod dicamus, niſi quod ex illis quædam ſummus Deus hoc jure eſſe voluit, uti perfugium illic ſibi præſidiumque ſalutis haberent, qui imprudenter aliquem occidiſſent. Ibi lene exilium illis fuit, donec pontifex

maxi-

maximus obiisset, cujus mors ita eos omnes liberavit, uti si forte antè decessissent quidam, ossa tamen eorum, illo defuncto, avitos in tumulos ferrentur. Hujusmodi oppida sex fuêre. Ajunt autem Talmudici, tria adhuc illis adjectum iri, cum in terras venerit maximus regum Messias. non enim frustra illud scriptum esse, ויספת לך עוד שלש ערים על השלש האלה: Etiam regionem locumque determinant. Ajunt enim delectum ad eam rem iri tria oppida ex urbibus Kenisæorum, Cadmonæorum, & Cenæorum, quas icto fœdere promisit quidem Abramo Deus, sed nunquam dedit. quocirca referri illuc debere quod Moses inquit, *cum dilataverit Dominus Deus vester terminos vestros*. Hæc si quis nimis subtiliter & anxiè ab illis perveſtigata dixerit, næ ille rectè existimat. sed tamen tanti erat observationes illorũ indicavisse. Præter sex illas, quas diximus, urbes, etiam Levitarum oppidis, quæ quadraginta & duo erant, idem privilegium datum est, nisi quod Talmudici negant apud Levitas tutum locum fuisse iis, qui legis beneficium ignorarent. Cætera, quæ de jure harũ urbium dici queunt, tum & quæ Iudæi commentantur de iis oppidis, quæ ערי הנידחות dicta sunt,

in

in quorum numero nec Ierosolymam, nec urbes refugii posse poni ajunt, ideò præteribimus, quòd tractata decus nullum aut nitorem habitura sint. *De quibus Rambam in Halacha Habodat Cochabin oumazzaloth, cap. 4.*

CAPVT VIII.

Quid Palæstina præ aliis regionibus habuerit. Non potuisse rempublicam Hebræam in alias sedes transferri. Explicatum Maimonidæ dictum de Babylonensibus Iudæis. Amplæ res eorum, & regnum ab illis Hyrcano oblatum. De sceptro Iudæ quid existimandum sit, contra Maimonidem asseritur. Respublica Iudæa ad Palæstinam alligata. Iudæorum scitum de templis, quæ extra Ierosolymam à popularibus condita.

RESpublica Hebræa tunc initium habuit, cum in Palæstinorum beatas sedes perductus est sacer populus. Nam antea quidem, etsi in Arabum desertis de religione atque ceremoniis vir divinus Moses, deque judiciis & civium jure saluberrimas tulit leges: tamen earum omnis vis ad ea loca pertinuit, in queis & singulæ tribus sua haberent oppida, & urbs insuper constitueretur una,

una, quæ imperii arx atque sacrorum custos foret. In Pentateuchi parte ultima sapientissimus legislator, cum summatim, quæ edixerat, repetit, non temerè illud identidem sanxit expressis verbis: *Hæc sunt præcepta, statuta, judiciaque, quæ observabitis in terra, cujus possessio hæreditaria mox dabitur vobis.* Enimvero habuit Palæstina præ aliis regionibus eximium quiddam, quod gentem sanctam atque rempubl. uni isti solo affixit. extra eas sedes si quis populum illum abduxisset, & iisdem legibus rempublicam instituisset eandem, non jam reipubl. sua sanctimonia, non populo sua majestas stetisset. Pertinere maximè ad rem hanc, de qua agimus, quoddam Maimonidæ dictum videtur, quod extat in libro decimo & quarto Misnæ, in Halacha Melachim, capite quinto. Id excutere nobis in transcursu libet. Est autem istiusmodi: כשם שאסור לצאת מהארץ לחוצה לארץ כך אסור לצאת מבבל לשאר הארצות *quemadmodum nefas est Judæis ex Palæstina sedes movere, ita iisdem migrare haud licet Babylone in alias regiones.* Profectò, nisi semel hoc explicuerimus, necessum erit sæpe eos incurrere in salebras quasdam, qui Hebræorum volumina manibus versant. Enimvero

Maimo-

Maimonides de Iudæis loquitur, non omnibus sane, sed illis modò, qui ab hoste trans Euphraten abducti, Babylone atque in vicinis locis habitaverunt. Horum pars quædam expletis septuaginta annis Palæstinam repetivit, cæteri beneficentia regum, sub quis vivebant, moti, sedes Babylone suas, atque suas colonias retinuêre. quæ fuit sanè ingens multitudo, ac postremò in gentem excrevit. Incredibile memoratu est, quàm amplas illic res tenuerint exules. Nam & Hyrcano, qui ex Parthis ad Heroden properabat, penè infulam & diadema, hoc est, pontificatum atque regnum obtulêre: & commissa iisdem erant Babylonici imperii arcana, quæ sacerdos Hebræus custodiit in turri immensi operis, quæ extructa in Ecbatanis Medorum erat. His Iudæis summa conjunctio atque necessitudo cum Palæstinis fuit. non institutorum diversitas eos, non vita, non patrius sermo distinxit. omnia gemina & eadem fuere. Quare, ut Babylone illis, procul à patriâ, habitare permisit Deus, quòd contagio ibi nulla eos peregrini moris afflaret: ita eosdem pergere ultra, atque aliò habitatum ire, nec fas nec jura fiverunt. Hoc Maimonides sensit, cum illud

illud Ieremiæ dictum interpretatur, בבלה יובאו ושמה יהיו *Babylonem ducentur, atque illic erunt.* de quo dubitari jam haud potest. Perquàm magnificum est, quod de Babylonienſibus ſenſerunt quidam majorum gentium ſapientes, quorum opinionem probat, ſequiturque Maimonides. Viſum illis eſt, poſtquam fato in pejus fluere & retrò ſublabi res Hieroſolymitanæ cœperunt, ſolos Babylonienſes eſſe, ad quos tranſlatum ſit imperii decus, quod promiſerat numinis vox in celeberrimo illo oraculo: *Non tolletur ſceptrum de Iuda, neque dux de fœmore ejus, antequam venerit Silo.* Nos, qui Maimonidæ ſummas virtutes ſuſpicimus, ejus reprehendere errores neutiquam dubitabimus. Certe hic quidem fugit hominem cordatiſſimum ratio, dum placitis favet popularium. Non ignoro Babylonienſes Iudæos quandam velut rempublicam inter ſe agitaviſſe, ac jura dixiſſe cæteris de eâdem gente, qui extra Palæſtinam eſſent. etiam illud meminimus, principatum ibi ſemper tenuiſſe quoſdam proceres, qui genus ſuum impermixta ſerie ad Davidem referrent. Sed non propterea efficitur, quod vult Rabbi Ben Maimon. Sceptrum enim, de quo proditum oraculum

culum fuit, nihil est aliud, quàm res publica Iudæa, hoc est, regnum illud sacerdotale, cujus non accessio hercle aut stabilimentum, sed anima atque spiritus, fuere religiones atque ceremoniæ. Porrò ceremoniarum sacrorumque custos non omnis urbs, sed una quæpiam esse debuit, in qua sanctuarium esset, quod numinis præsentior vis, velut sedem suam suamque domum incoleret. Ea urbs primum Silo, mox Ierosolyma fuit, in medio Palæstinæ. Quod si forte quidam segreges Iudæi templum aliis in terris aramve extruxerunt, reip. jura atque inviolabiles leges temeravere. Extat in historiarum monumentis epistola Oniæ ad Ptolemæum & Cleopatram, in qua ille populares accusat suos, quod sanctuaria in Phœnicum urbibus, atque alibi condidissent contra jus fasque. Sed ipse interim haud in minore culpa fuit, dum summi vatis Esaiæ oraculum ambitiosis cœptis suis prætexuit falsò, templumque in Heliopolitana præfectura ædificavit. Non enim hoc fieri salvis ceremoniis potuit. Fuit illud inter scita vetustissimorum Iudæorum, quod Rabbi Moses Ægyptius tradit in libro octavo, in Halacha Biath hammikdasch in capite ultimo, מי שעבר ועשה

ועשה בית חוץ למקדש להקריב בו קרבנו
לשם אינו כבית עכו"ם ואף על פי כן כל כהן
ששמש בבית זה לא ישמש במקדש לעולם
וכן כלים שנשתמשו בהן שם לא ישתמשו
בהן במקדש לעולם אלא יגנזו: *Si quis transgressus legem sit, ædemque extruxerit aliam præter sanctuarium Hierosolymitanum, non est ea quidem idolorum ædes habenda, sed tamen sacerdos, qui illic sacris operatus fuerit, nunquam sacra facere in Dei sanctuario, quod Ierosolymæ est, poterit. Etiam vasa, queis usus ille est, nemo quisquam ad veri sanctuarii adhibebit ministeria, sed abscondenda erunt.*

CAPVT IX.

Criminalia judicia intra Palæstinam stetisse, & Babylonienſibus Iudæis aliisque negata fuisse. Ad totius commentationis hujus lucem ostensum quam diu respublica fuerit omnium Hebræorum, & quando Iudæorum esse cœperit. Hinc sciri posse quidnam sit sceptrum Iudæ. Eusebii, & eorum, qui secuti eum sunt, erudita & plausibilis sententia confutatur. Quid sit majestas imperii, & quorum sit.

EST hoc, de sacra æde quod diximus, permagni momenti ad confutandum Maimonidem. sed proferenda alia sunt, ex quibus constet rempubli-

cam, de qua annosus vates in extremo vitæ locutus ad Iudam est, non alibi sedem, nisi in Palæstina, habuisse. Haud longe eundum erit. Ipsum Maimonidem adversus se testē citabimus. Quàm crebrò ille nos monet, populum sanctum, si extra patriam sit, solutum esse legibus plerisque, quas maximus Moses tulit? Præclara est ejus dissertatio in Halacha Sanhedrin, in qua ille certis quibusdam finibus potestatem judicum circumscribit, tam Palæstinorum hercle, quàm Babylonienſium. Vtique pro vero constat, legum Mosaicarum maximam partem occupari judiciis illis, quæ Rabbini דיני קנסות, hoc est, *criminalia* appellitant. Hæc judicia, inquit Maimonides, à Babylonienſibus exerceri nusquam terrarum potuêre, ne in Palæstina quidem. Palæstini autem, quemadmodum ex lege jura quælibet suis reddiderunt civibus intra patriam, ita extra eam nihil statuerunt in populares suos, nisi hoc illis aut Babylonienſium permitterent proceres, aut alii, qui exulantium Iudæorum erant capita. Ex qua re illud conficimus, pronuntiasse de criminibus Palæstinos in patrio quidem solo ex vi legis semper; extra illud verò etiam interdum, sed precariò. at Babylo-

bylonienſes de iiſdem cognoviſſe nuſquam, non in ditione ſua, non in Palæſtina, non vi legum, ac ne precariò quidem. Et hi erunt igitur illi, obſecrò, queis datum ſceptri Iudaici decus ſit, poſtquam fractæ Palæſtinorum res erant. Profectò aut neſcivit ſummus ſcriptor quænam eſſet hæc ſceptri dignitas, aut nimis benè ſenſit de ſtramineis proceribus aliquot, qui illic de gente Davidis eſſe ſe gloriati ſunt. Sed non miramur tam levem hallucinationem in Maimonide, cum cogitamus quæ interpretationum portenta pepererint alii, ut ex divina Iacobi oratione rectam ſententiam eruerent. Memini ego ante annum hac de re locutum me eſſe cum viro ampliſſimo, Apollonio Scotto, ſupremi ſenatus aſſeſſore, qua tempeſtate Hagæ jucundiſſimo otio in ædibus ejus fruerer, & luculentas Rabbi Maimonidæ commentationes magno ardore percurrerem, quibus ira afficiebar, pene ut omnia tranſverſo calamo delerem, quæ antè de rebus Iudaicis notata à me erant. Ibi ſenator ille, quæ eſt ejus eruditio & ſumma ingenii vis, identidem ſignificavit, videri ſibi, nullum eſſe in ſacro codice oraculum, quod magis ſolicitatum ab eruditis, & minus intelle-

ctum sit. Gaudebam ego hercle, repertum à me esse, qui mecum sentiret, eum virum, cujus me autoritas & nominis existimatio compellere poterat ad convellendas quaslibet aliorum opiniones. Quare, hortatu ejus, omninò facturum me rectè atque ordine puto, si in tanta conjectantium multitudine etiam ego, quid judicii mei de tam illustri oraculo sit, publicavero. Digna enim res est, in qua vires suas exerceat cujusque indoles. Certè etsi in his libris de rebus tam Hebræorum, quàm Iudæorum communiter agimus, ac pleraque exequimur sine discrimine, tamen ne cui incertus error illudat, semel illud ostendemus omnibus, rempublicam sacram, quæ numinis jussu constituta à Mose est, semper quidem eandem fuisse, atque iisdem constitisse legibus, sed tamen non semper fuisse eorundem. diu enim fuisse eam Hebræorum: mox verò, circumvolutis seculis, duntaxat Iudæorum fuisse. atque adeò oraculum Iacobi, quod de sceptro Iudæ est, haud pertinuisse nisi ad ea tempora, cum respublica appellari de Iudæorum nomine cœpit. Cujus rei ignoratione effectum est, ut perperam hactenus intellecta admirandi oraculi vis sit. Nolo ego nunc

nunc memorare Origenis, Augustini, Epiphanii, atque aliorum miseras hallucinationes, qui existimarunt, Iacobi vaticinatione promitti Iudæis quamdam perpetuam regum ex eâdem tribu, atque per idem genus successionem usque ad tempora Messiæ. Quæ qui amplexi sunt, ii profectò in multas salebras inciderunt. nesciebant enim quid dicerent, aut quò se verterent, cùm cernebant à Sedecię quidem morte usq; ad Aristobuli tempora regnum Iudæorum nullum fuisse, postea autem usque ad Herodis tyrannidem solos Levitas Hasmonæos regnum tenuisse. Persecutus ea nuper in Exercitationibus Baronianis benè atque feliciter est vir seculi nostri eruditissimus Isaacus Casaubonus, cui placuit Eusebii prędara de hoc oraculo sententia, quæ extat in libro octavo Demonstrationis Euangelicæ, in prima demonstratione. Nos ea omnia, quæ tam ab Eusebio, quam à Casaubono, rectè dicta sunt, prætermittimus, ne actum agamus. Etiam illud fatemur, interpretationum omnium, quæ vulgatæ hactenus sunt, longè eam esse optimam, cujus autor Eusebius est. Sed quoniam nondum vel Eusebius, vel qui nuper secutus illum est, vir maximus, intellexisse

mihi videtur, quodnam illud sit sceptrum, aut quando datum Iudæis sit, de quo annosus vates in extremo vitæ locutus ad filium est, certè hoc jam expediendum nobis est, sed cum veniæ præfatione. Nam nec ab Eusebio dissentire voluptas nobis est, quem in maximis scriptoribus semper numeravimus, & virum, quem nominavimus, seculi nostri primarium, qui secutus Eusebium est, ita penitus veneramur, nemo ut nobis præ illo magnus sit. Est enim is profectò, cujus auspiciis hac ætate admirabilis cursus factus ad omnem doctrinæ excellentiam est. Sed nos ingenua simplicitas jubet, quid verum rectumque sit, sine adfectu exquirere. Primum illud non sine errore censuit Eusebius, sceptrum esse Iudæ datum jam inde à tempore Mosis, propterea quod tribus hæc inter cæteras singulari dignitate semper excelluit, locumque tenuit honoratiorem tam hercle in castris, quàm in eorum ordine, qui munera in templo offerebant. Me verò illud argumentum non magis movet, quàm si Romæ aut Athenis quispiam sceptri majestatem non apud populum Romanum aut Athenienſem, sed apud unam dicat tribum fuisse, quæ cæteris nobilior

lior florentiorque erat. Sanè enim ex constantissima veterum auctorum affirmatione illud constat, fuisse utriusque hujus populi multas diversasque tribus, quarum aliæ erant aliis dignitate, loco, atque ordine priores. Quid est igitur? Equidem ego sceptrum esse nihil aliud, nisi majestatem imperii opinor, eam nempe, quæ ipsi reipublicæ assidet. Quare quorum respublica est, eorum & sceptrum dici debet. Respublica autem Hebræa à Mosis seculo ad usque Roboami regnum, non Iudæorum, sed duodecim tribuum fuit. Ex quo efficitur, etiam sceptrum per ea tempora omnium fuisse Israëlitarum. Cæterùm de hoc sceptro, quod diu commune duodecim tribuum fuit, non locutus est divinus patriarcha in celeberrimo oraculo. Seros enim annos, & ventura spectavit secula, cum tribus Iudæa, scisso in contrarias partes populo, suam sibi rempublicam habere seorsim ab Israëlitis cœpit, quam probavit dilexitque Deus, atque appellari de solo Iudæ nomine Iudaicam voluit, donec is mortalium datus cœtibus esset, cui imperium destinabatur non Iudæorum modò, sed gentium omnium. Atque hanc quidem sceptri majestatem, ex quo tem-

pore ſemel eſſe Iudæorum cœpit, manſiſſe eorundem dicimus, etſi mutatus interdum rèipublicæ ſtatus ſit, ac penes optimates modò pontificeſque, modò penes reges principeſque ſumma fuerit imperii. Nimis ineptè faciunt qui hic in arctum deſiliunt, & nominis hujus honorem haud pertinere niſi ad reges autumant. Quicunque enim populus ſuâ quâdam republicâ, ſuiſque legibus utitur, is rectè gloriari de imperio, deque ſceptro poteſt. Memoriæ proditum eſt, Ieroſolymæ, etiam eo tempore cum populum non principes, ſed optimates regerent, in medio magni concilii, quod Sanhedrin vocant, ſceptrum pependiſſe. quæ res fuit profectò quoddam inſigne illius majeſtatis, quam [1] Marcus Tullius *eſſe magnitudinem quandam populi* ait *in ejus poteſtate ac jure retinendo, quæ vertitur in imperio atque omni populi dignitate.* Non reges, non principes Rempublicam Romanam, ſed conſules atque ſenatus agitavêre, cum lex iſtæc fœderis data Aetolis eſt, quam Livius refert, *uti majeſtatem populi Romani conſervarent ſine dolo malo.* Atque hoc idem omnibus fuiſſe liberis populis imperatum,

[1] *In Partit. Orat.*

tum, qui fœdere aliquo, sed haud æquo, in amicitiam venirent Romanorum, testis est Proculus Iurisconsultus *in l. 7. ff. de captiv. & postlim. reversis.* Ne illud quidem nostrâ interesse arbitramur, quâ de gente aut tribu fuerint, qui Iudaicas res moderati sint rexerintque. Etsi enim per annos sanè multos regnum tenuerint Levitæ Hasmonæi, fuit tamen nihilominus respublica Iudæi populi. Neroni Cæsari illud sapientissimus magister [1] dixit, *Non rempublicam principis esse, sed principem reipublicæ.* Neque profectò alia fuit sententia Vlpiani Iurisconsulti. is enim *majestatis crimen esse* id demum ait, *quod adversus populum Romanum, vel adversus securitatem ejus committitur. l. 1. §. 1. ff. ad legem Iul. majest.* Vtique vixit iis temporibus Vlpianus, cum nec jussus amplius nec suffragia populi essent, sed imperium atque rerum summam Cæsares tenerent: & tamen, qui accuratissimè definire cuncta solet, majestatem esse populi ait.

Caput X.

Nunquam duodecim tribus Hebræas de nomine Iudæorum appellatas esse. De-

[1] *Senec. lib. 1. de clementia.*

cem illas tribus, quæ ante Nabuchodonozoris tempora avectæ à Salmanassare sunt, nunquam in Palæstinam rediisse. duas duntaxat tribus, non plures, paruisse Romanis, usque ad Flavii Iosephi tempora. Paßim Eusebii & aliorum error notatus.

NOndum satis confutasse Eusebium videmur, nisi palam fecerimus, in quos laqueos ipse se induerit imprudens scriptor. Extant illa verba ejus in libro quem citavimus [1], ἀπὸ τῶν Μωσέως χρόνων καθεξῆς οὐ διέλιπον μερικοὶ μὲν αὐτῶν ἄρχοντες ἐκ διαφόρων φυλῶν ἡγησάμενοι, καθόλου δὲ ἡ τοῦ Ἰούδα φυλὴ παντὸς προεστῶσα τοῦ ἔθνους. *Iam inde à temporibus Mosis, duces quidem Israëlitici, si particulatim eos intueare, ex diversis tribubus lecti imperarunt: at in universum toti genti præfuit Iudæa tribus.* Hactenus sibi constat, neque pugnantia dicit. Quod autem subdit, ridiculum est: παραδείγματι δὲ καταδέξῃ τὸ εἰρημένον. ὡς γὰρ ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς οἱ μὲν κατ' ἔθνος ἐπίτροποί τε καὶ ἡγούμενοι, ἔπαρχοί τε καὶ στρατοπεδάρχαι, οἵ τε πά-

[1] *Lib. 8 Demonstrationis Euang. in demonst. 1.*

πάντων ἀνωτάτω βασιλεῖς, οὐ πάντες ἐκ τῆς Ῥωμαίων ὁρμῶνται πόλεως, οὐδ' ἀπὸ Ῥώμου καὶ Ῥωμύλου σπορᾶς, ἀλλ' ἐκ μυρίων, ἄλλος ἄλλοθεν, ἐθνῶν, ὅμως δὲ οἱ πάντες βασιλεῖς τε, καὶ οἱ μετ' αὐτοὺς ἄρχοντες καὶ ἡγούμενοι τὴν Ῥωμαίων ἐπιγράφονται προσηγορίαν, Ῥωμαίων τε τὸ κράτος ἐπωνόμασται, καὶ ταύτης ἔξηπται τῆς ἐπωνυμίας· οὕτω περὶ τῶν καθ' Ἑβραίους χρὴ νοεῖν πραγμάτων· μιᾶς μὲν καθόλου τῆς τοῦ Ἰούδα φυλῆς κατὰ τοῦ παντὸς ἔθνους ἐπιπεφημισμένης, τῶν δὲ κατὰ μέρος ἡγουμένων τε καὶ βασιλέων ἐκ διαφόρων καθισταμένων φυλῶν, καθόλου δὲ τῇ τοῦ Ἰούδα τιμωμένων προσηγορίᾳ. *Exemplo facile percipies, quod diximus. Quemadmodum enim in Romano imperio gentium singularum moderatores rectoresque & præsides, castrorumque præfecti, quique omnibus illis majores sunt, reges, haud quidem omnes urbe Roma, neque Remi Romulique satu, sed ex innumeris alii aliunde gentibus orti sunt; & tamen tam reges profectò cuncti, quàm qui post illos sunt, præfecti ducesque, appellati sunt Romani, visque & potestas Romanorum dicitur, atque ex hoc nomine pendet: Ita de Hebræorum rebus existimandum est, quasi una quidem tribus Iudæa toti genti illustre suum nomen impertiverit, particulatim*

verò

verò duces ac reges creati ex diversis tribubus sint, qui tamen ex communi illa Iudæorum appellatione honorem acceperint. Vide quid non possit incogitantia. Planè enim contrarium efficit Eusebius, quàm volebat. Qui enim sceptrum fuisse penes Iudæos jam tum à tempore Mosis ait, argumentum ejus rei hoc adfert, quia respublica, imperium, atque totus populus, qui duodecim tribuum erat, appellationem habuere de nomine unius Iudæ. Hoc argumento bis terve diversis in locis, magnificè se effert. neque ferme in tota illa dissertatione aliam rationem reperias, qua probare sententiam suam nititur. Atqui, pace Eusebii, hoc omne, quidquid est, futilissimum est. Non enim respublica, non imperium de Iudæ nomine dici cœpit, nisi postquam secessionem major Israëlitarum pars fecisset Hieroboami auspiciis, qui statim Samariæ regnum sibi quoddam munivit ceremoniarum atque religionum mutatione. Ego & Eusebium, & eos omnes, qui leviter sacram historiam cognoverunt, quavis sponsione provoco, ni hoc ita sit, uti dico. Sed quid illud est, quod toties & tam fidenter ait, duodecim tribus in universum fuisse Iudæorum nomine appellatas? Est hoc

Euse-

Eusebii delirium, quod ille incautis mortalibus obtrusit; & reperti sunt quidam summa claritudine scriptores, qui defenderent. Nos id nunquam factum dicimus, sive tu tempora ista, quæ scissionem regni Israëlitici antecedunt, sive ea spectes, quæ insecuta pòst fuere. Et Eusebius quidem, etsi mentem suam apertè non explicat, tamen, si conjicere licet, sic sensit, accidisse illud inter initia nascentis imperii, cum respublica in Cananensium sedibus institueretur, ac de nomine ejus capienda consilia essent. Sed hoc colorem veri non habet. Quare vir maximus, quem Eusebii defensorem diximus, de tempore eum aliter sentientem facit, & quod sentire eum credidit, probat ipse sequiturque. Observasse enim Eusebium ait, duodecim tribus Israëliticas appellationem accepisse de nomine Iudæ, eamque appellationem tunc primum cœptam usurpari, cum regiam potestatem, quam in Sedecia tribus Iudæ amiserat, pontifices maximi in se transmovissent. hanc autem rem inprimis admiratione dignam ait, quippe quæ accidit consilio numinis. Etenim, cum Polybius non sine gravi causa existimet evenisse ut Achæi, exiguus Græciæ populus, nomen aliquando da-

darent universæ Græciæ, sanè etiam hic aliquid sublimius grandiusque spectandum esse, cum post reditum à captivitate omnes omnium tribuum Abrahamidæ vocati Iudæi sint. Hunc nos errorem excusare nec possumus, nec debemus. Enimverò, cum scissum divisumque Israëlitarum regnum fuit, duæ tribus, Levitæ & Benjaminitæ, Iudæis se sociaverunt. Quia autem pauciores tenuioresque erant, nihil nisi accessio habiti sunt. Itaque nec respublica ab illis appellationem accepit, & ipsi pene nomen suum amisere. dicti enim tandem communiter Iudæi sunt. Hæc vera rectaque fatemur. neque aliter res habet. Sed quid ista, aut quo pacto ad cæteras decem tribus pertineant, viderint ii, quibus hoc commentum placuit. Profectò, ex qua tempestate semel decem illæ Israëliticæ tribus abductæ à Salmanassare Assyrio, & dispersæ per Colchos, Parthos, Indos atque Æthiopas sunt, nunquam deinde in patrium solum redierunt aut conjunctæ iterum Iudæis sunt: sed inter barbararum gentium imperia, etiam hodie, si qui adhuc ex illa colluvie supersint, improbę defectionis graveis pœnas exolvunt. Itaque in republica Iudæorum esse, aut nominis honorem

norem ab illis accipere non potuere, qui cum Iudæis nullum usum nullamque consuetudinem habebant. procul enim diverso in orbe siti, aliud cælum, alia sydera intuebantur. Est apud Flavium Iosephum, inusitatæ diligentiæ autorem, memorabilis locus [1], quem excussisse ingens pretium operę erit. sic enim optimè rem expediverimus. Fecerat Flavius primum verba de iis, qui undique ex vicinis terris Babylonem confluxere, uti cum Ezra Hierosolymã redirent. ii autem omnes erant Iudæi, & qui se Iudæis conjunxerant, Levitæ atque Benjaminitæ. At de Hebræis aliarum tribuum, ita subjicit; ὁ δὲ πᾶς λαὸς τῶν Ἰσραηλιτῶν κατ' οἴκους ἔμεινε· διὸ καὶ δύο φυλαὶ εἶναι συμβέβηκεν ἐπί τε τῆς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης Ῥωμαίοις ὑποκειμένας· αἱ δὲ δέκα φυλαὶ πέραν εἰσὶν Εὐφράτου ἕως δεῦρο, μυριάδες ἄπειροι, καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυνάμεναι. *reliquus vero omnis populus Israelitarum in* [2] *sedibus suis remansit.. Quare tam in Asia, quàm in Europa, duas duntaxat tribus in obsequio Roma-*

[1] *Lib.* XI, *cap.* V, *Antiq. Iudaic.* [2] *Loquitur Flavius de iis sedibus, in quas decem Israeliticæ tribus erant asportatæ trans Euphraten à Salmanassare Assyrio.*

Romanorum esse contigit. at reliquæ decem tribus, etiam hoc tempore, trans Euphraten adhuc degunt, quarum sunt infinitæ myriades, planè ut propter numerosam multitudinem nosci haud queant. Enimverò durioribus usi fatis sunt, quos Salmanassar abduxit captos, quàm ii hercle, quos avexit postea Nabuchodonozor. Nam Israëlitas quidem fluvius Euphrates, quem semel transierant, semper coërcuit. At Iudæi, qui eundem transvecti erant, tandem reversi aliquando in Palæstinam sunt: &, cum aut angusta nimis, aut parum grata ipsa illa esset Palæstina, per Europam tandem Asiamque latè sedes suas posuere. Hæc causa est, cur Iosephus duas modò Hebræorum tribus ad obsequium actas à Romanis dixerit. Illa enim tempestate populus Romanus, etsi omnia pene armis subegerat, & solem utrumque currere in imperio suo cernebat, nondum tamen moverat terminos trans Euphraten. Itaque decem Israëliticas tribus, quas fluvius ille æterno carcere claudit, haut paruisse tunc Romanis, rectè proditum ab accuratissimo scriptore est.

CA-

Caput XI.

Hariolatio quorundam, qui sceptrum Iudaicum esse Davidi datum ajunt. admodum serò contigisse, quod dictum multò antè de Iudæ sceptro erat. Quando ablatum Iudæis sceptrum sit.

DIxi ingenuè, quando datum Iudæis sceptrum existimem, de quo oraculum extat: dein, quos cives habuerit ea respublica, quæ ortum accepit ex plebis secessione. Quæ omnia Eusebius assecutus non est. qui tamen unus inter tot interpretes recte de illo oraculo ac pene divine judicavit. Quæ cæteri commenti sunt, non referam. Plerique tamen quod Eusebius esse factum jam inde à primordiis reipublicæ Hebrææ vult, id contigisse eo tempore ajunt, cum regia potestas delata ad Davidem est, quem tribu Iudæ fatum sacri annales loquuntur. Sed hos tam solidè tamque feliciter confutavit Eusebius, nihil ut amplius addere cujusquam possit industria. Nam & Davidis posteros per tempus oppido exiguum, usque ad captivitatem Babylonicam, tenuisse regnum docet: &, quæ dicuntur identidem de æterno ejus solio, bene atque sapienter ad Messiam retu-

lit. Sed de his post Eusebium plura dicere, hominis sit frustra seduli. Ita enim ille defunctus hac cura est, uti otium omnibus fecerit. In fine restat ut illis solicitudinem demamus, qui mirabuntur quid ita serò eventus exstiterit vaticinii, quod proditum de Iudæa republica est. Diximus enim sub Roboamo demum cœpisse eam. Sed sciant illi, ne hoc quidem præter vatis mentem fuisse. Quippe filios suos moribundus senex extremum allocuturus, velle se illis significare ait, *quæ eventura sint in diebus novissimis*. Dein & illud meminerint, in oraculis haud curiosè vestigari tempora oportere. Pleraque enim interpretanda latissimè sunt. Vel ecce in hoc ipso vaticinio, cum dicitur, *non sublatum iri sceptrum, priusquam venerit Silo*, putes illud significari, statim cum apparuerit mortalibus Messias, fore ut de manibus excutiatur sceptrũ genti isti. Quod planè secus accidit. Non enim amiserunt id decus Iudæi, nisi postquam, excisa urbe, incensoque templo, rempubl. aliquam habere suam, seque suis regere legibus desiverunt. Neque propterea defuit oraculo infallibilis veritas. Etsi enim diu ante è terris excesserat rerum salus Messias, contigisse tamen hæc ejus ætate constat.

stat. Mihi quidem significasse illud publica voce visus semper ipse Messias est, cum de urbis templique eversione in hunc modum infit, μὴ παρέλθῃ γενεὰ αὕτη, μέχρις ἂ πάντα ταῦτα γένηται· *non transibit hæc ætas, priusquam facta sint hæc omnia.* Hæc satis erunt bonis cordatisque omnibus. Cęteros non moramur, quibus hæsitandi causa ubique est. Equidem, qui viros maximos incertis hic fluctuare erroribus cernebam, ita paravi memet ipsum, uti quiddam certum tenerem, quod deinceps sine periculo tuerer constantissime. Persæpe enim ea res in hisce libris nostros impetus tardavisset.

Caput XII.

De dictatoribus, judicibusque. de senatu Sanhedrin. de initiatione senatorum ἡ χειροθεσία. *item solenne carmen. qui allecti in id concilium, qualis jurisdictio eorum. de populi comitiis. de poculo Sutha. Iudæorum delirium de magiæ usu. de Eleazari incantamentis.*

Ostensum à nobis est, rempublicam, de qua agimus, diu Hebræorum omnium, mox autem Iudæorum duntaxat fuisse. quod profectò semel definire, magni nostra intererat. Nunc

egressi ex molestissima disputatione, dicamus deinceps, qui sacræ genti imperitaverint, quidque de judiciis sit, & de senatu habendum. Non concesserat Mosi numinis benignitas, uti rempublicam eam in Palæstina surgentem cerneret, cujus instituta publicaverat in Arabum desertis. Datum id decus Iosuæ est, qui, Mose defuncto, populi ductor cum imperio maximo fuit. Domi enim militiæque, quod jussisset, jus ratumque erat. Hunc pari potestate secuti sunt, qui præeundo edicendoque prætores dici dictatoresque poterant, etsi in sacris annalibus Iudices appellantur, ratione haud multum diversa. At Flavius μοναρχας vocavit. quod nomen etiam Syllæ, Cinnæ, Marioque, & aliis dictatoribus Romanis Græci dedêre. Hos judices, in magnis motibus, necessitas creavit: & compertum negotiis atque periculis est, in bello feliciter illis rem semper processisse, cum regum temeritatem persæpè fortuna destituerit. Fuit etiam cum iidem rebus civilibus intenti agerent, causasque audirent, sed graviores. Rarò enim pro tribunali sedebant. Iussus modò, imperiumque, & summa rei ad eos pertinuit. Vltimus eorum Samuël fuit is, quem reges excepêre, qui,

pote-

potestate & imperio non contenti, habitu insuper insignibusque & splendore fortunæ supra multitudinem se tulêre. Cæterùm, præter summos populi ductores, Iudicèsque, atque eos, qui pòst appellati reges sunt, non pauci alii fuêre, qui de republica consultarent, jusque dicerent, & negotiorum arbitri essent. Synedria enim quędam constituta erant, in quibus qui senatores fuerint, quæve res ad illos relatæ sint, edisserendum deinceps est. Ante omnia offert se nobis concilium magnum Sanhedrin, in quod adscripti assessores septuaginta erant. Id concilium, cum constitutum à Mose esset, semper deinde sub Iudicibus, regibusque, & pontificibus usque ad extremam Iudææ desolationem fuit mansitque in ea urbe, quæ sanctuarii sedes atque reipublicæ arx esset. Sed quoniam prima tempora, proximaque illis, fermè obscura sunt, & de urbe Silo nihil præcipuè scitu dignum sacer codex prodidit, nos, quale id synedrium in civitate principe Ierosolyma fuerit, postquam extructum illic templum est, ex Iudæorum observatione trademus. Mox de cæteris dicetur conciliis, quæ vel Ierosolymæ, vel in urbibus singulis fuere. Concilii magni sedes in ipso sanctuario

fuit, ubi de divinis humanisque rebus senatores septuaginta cognoscerent, non hercle de plebe hominum lecti, sed nobilissimi omnes, qui amplitudinem majorum, ac prisca familiæ decora præferebant. Eam sedem illis summus Moses assignaverat. Convenire enim eos in locum jussit, quem elegisset Deus uti nomen illic suum adoraretur à populo. Ab his provocatio non erat. Quicquid decidere cæteri magistratus judicesque in Palæstinæ oppidis atque in ipsa urbe Hierosolyma nequibant, id omne ad horum jurisdictionem pertinuit. Qui autoritate & honore præcellerent inter eos, duo fuere. quorum unus totius synedrii caput erat,& à Talmudicis נשיא בכל מקום dictus est. alter huic proximus, sed minor fuit,quem אב בית הדין *patrem judicii* appellavere.Cæteri inter se æquales fuerunt. Hæc senatoria dignitas, quoniam amplissima erat,nemini data sine legitimo actu est.Manuũ enim impositione opus fuit,quam Iudæi סמיכה vocant. At Græci χειροθεσίαν dixerunt. Ita Moses Iosuæ & septuaginta senatoribus manũ imposuit. qua solennitate peracta, statim delapsus ætheriis sedibus

[1] Id est, *Princeps in omni loco.*

bus ſpiritus pectora eorum implevit. Et hi porrò, in hunc modum initiati cum eſſent, alios eadem lege auctoraverunt. Non tamen potuit is ritus extra terram ſanctam peragi, quia vis ejus omnis concluſa Palæſtinæ finibus erat. Perinſigne eſt, quod Rabbi Maimonides tradidit in Halacha Sanhedrin, in capite quarto. Cum enim olim ſolennem hunc actum pro arbitrio ſuo omnes ii celebrarent, quibus impoſita ſemel manus fuerat, coarctatum id jus à ſapientibus eſſe ait, conſtitutumque uti nemo deinceps illud uſurparet, niſi cui id conceſſiſſet divinus ſenex Rabbi Hillel. Is autem magni concilii princeps erat, & alterum ſub ſe præſidem habuit Sameam, hominem truculentum ambitioſumque, cujus ſectatores, cum paulò pòſt contra diſcipulos Hillelis inſurrexiſſent, tantis ſtudiis animos hominum concivere, pene uti totus populus pertractus in partes ſit. Tandem hæc manuum impoſitio, quæ uſitata diu fuerat, ceſſavit. Recitatum enim duntaxat carmen quoddam conceptis verbis eſt, quod Rabbi Maimonides fuiſſe ejuſmodi ait: הרי את סמוך ויש לך רשות לרון אפילו דיני קנסות: *Ecce, manus tibi impoſita eſt, daturque poteſtas tibi judi-*

cia exercendi etiam criminalia. Præterea aliam quoque formulam Talmudiſtæ prodiderunt, quorum verba in Elencho Trihæreſii vir illuſtris Ioſephus Scaliger retulit, ſed non rectè accepit. Quare nos illum locum huc transcribemus, &, ut intelligi debet, interpretabimur. Dixerant Talmudiſtæ de Iuda Babæ filio, qui vetera gentis ſuæ inſtituta tutatus acerrimè eſt. Penè enim actùm erat de judiciis criminalibus, deque manuum impoſitione, ni ille Atlas res labentes fulſiſſet. Dehinc illa ſubjiciunt: סמיכה לוא דוקא ביד כמו שעשה מושה ליהושע אלא אפילו בדבור בלבד רי שיאמר אני סומך אותך תהיה סמוך: Nos horum verborum germanam ſententiam hanc putamus: *Actus ille ſolennis non tantùm fit manu impoſita, quemadmodum Moſes Ioſuæ fecit, ſed etiam fit per formulam verborum duntaxat, cujuſmodi hoc eſt, quod dicitur, Ego impono tibi manum, & manus impoſita tibi eſto.* At ſummus Scaliger ex illis verbis collegit, eſſe à Iuda aliud quoddam carmen repertum præter vetuſtiſſimam formulam, quæ ibi concepta eſt. Quorum omnium nihil Talmudiſtis in mentem venit, neque vera ſunt. Fefellit autem hoc virum maximum, quod exiſtimavit בלבד eſſe *præterquam*, cum

cum contra in Rabbiniſmo ferme ſit *duntaxat & ſolum*. Sed hoc grammaticæ pulpæ eſt, & relinqui aliis debet. Nos hîc quædam graviora commentamur. In concilium magnum non modò cives primariæ nobilitatis, quod jam diximus, ſed Levitæ quoque ſacerdoteſque allecti ſunt. Etiam pontificem Maimonides aſcitum ait אם היה ראוי בחכמה *ſi cordatus, & capiendis conſiliis non ineptus eſſet*. alioqui reprobare eum fas fuit. Non enim ſuo jure in ſenatum ibat, ſed admiſſus ſuffragiis eſt. Cunctos autem aſſeſſores corpore eſſe integro oportuit. Qui vitium aliquod habebant, arcebantur. Sed nec peregrini exterive recepti in hunc ordinem ſunt, niſi matre ſaltem Iudæâ eſſent. Hos enim excipit Maimonides. Et ſanè æquum erat, neque ſecus conſtitutum jure Quiritium eſt. Ait Vlpianus IC. *in l.* 1. §. 2. *ff. Ad municip.* ſi quis ex patre Campano, matre Puteolanâ natus ſit, eum municipem Campanum eſſe. niſi forte privilegio aliquo materna origo cenſeatur. tunc enim filium maternam originem ſequi. quare Ilienſibus conceſſum eſſe, ut, qui matre Ilienſi eſt, ſit eorum municeps. & Ponticis ex beneficio Pompeii Magni competere, ut, qui Ponticâ matre natus eſſet, Ponticus

ticus esset. atque etiam Delphis hoc idem tributum & conservatum fuisse. Senatoribus Sanhedrin per omnem Iudæam ire, conventusque populi lustrare, in oppidis magistratus condere, cura fuit. Cumque Cabbala quædam, mysteriorumque doctrina jam inde ab initiis reipub. tradita per manus esset, hujus vis omnis, auctoritasque penes illos erat. Tum & statuta de rebus sacris condere, & modos quosdam comminisci, quibus lex exponeretur, illorum fuit. De qua re Maimonides accuratè egit in Halacha ממרים in cap. primo. Extant apud Talmudistas multæ juris Iudaici cautiones de illo sapiente, quem ipsi זקן ממרה *senem refractarium contumacemque* appellant; qui juris sacri & Cabbalæ pridem consultus, ortâ mox hæsitatione aliquâ, probare illud & sequi recusaret quod communiter Senatores Sanhedrin statuebant. Is dein judicio magni synedrii capite damnabatur. Huc illa Maimonidæ spectant in eadem Halacha in cap. tertio, זקן ממרה האמור בתורה הוא חכם אחד מחכמי ישראל שיש בידו קבלה וסן ומורה ברברי תורה כמו שידונו ויורו כל חכמי ישראל שבארץ לו מחלוקת ברין מן הדיינים עם בית דין הגדול ולא חזר לדבריהם אלא חלק עליהם והורה לעשות שלא כהוראתן

כהוראתן גזרה עליו תורה מיתרה: Quæ jam plana sunt. Porro etiam vatum causa, qui graviter deliquissent, non alibi, quàm in hoc synedrio, disceptabatur. idque in animo habuit servator hominum Messias, cum in Lucæ Evangelio negat fieri posse, *uti propheta quispiam pereat extra Ierosolymam*. Tum &, quod summæ potestatis est, regem quoque constituebant, ac de bello gerendo, déque hostibus profligandis, & de proferendo imperio deliberabant. Sed quoniam hæc ejusmodi erant, in quibus salus omnium & summa reipublicæ vertebatur, consultatum de his plerumque cum populo est. Indicta enim comitia sunt, in quibus solis populus partem aliquam caperet regundæ reipublicæ. Et sane aliam capere partem, aut aliter, non debuit. honores enim magistratusque singulis mandantur. quare gerere eos plebs propter væcordiam imperitiamque nequit. At in comitiis sapit videtque aliquid. Quod enim subtilissime Aristoteles judicavit, omnis ea multitudo sensum aliquem habet, conjuncta si sit; atque etiam publica commoda juvat, quia cordatiores adsunt, ducuntque. at seorsim singuli sine delectu judicioque sunt. De rege igitur, déque bello, ut

dixi,

dixi, decreta facta interdum populo auctore sunt. Cætera omnia senatores Sanhedrin per se expedivêre. Neque poterant illi maximis rebus esse impares, quia delecti sunt, quibus ingenium usu sapientiaque validum esset. Sanè quidem summus Moses eos senes dixit, non ætate modò, sed cura experientiaque. Fatemur tamen interdum causas ejusmodi fuisse coram illis disceptatas, quas explorare vis humanæ industriæ nequit. Hujus generis faciunt Talmudistæ quæstionem, quæ in solo hoc synedrio habita in caput mulieris de adulterio est, cum testimonia non adessent. Surrexit enim sacerdotum unus, qui pars senatus esset. Is collegarum jussu diram execrationem obtestationemque composuit in ream, ac mox potionem ei porrexit, quæ nocentem rumperet è vestigio, insonti autem prodesset ad valetudinem. Iudæi magistri id poculum מוהר appellant. Quia autem vis ejus occultior in lege horrendi carminis latet, creditum ab illis est, senatores hos cunctos fuisse magiæ peritos, eamque artem tanti esse, uti, qui nescirent eam, recepti in summum illum ordinem non sint. Hæc opinio etiam nunc verpos tenet; sed vanissima est. Iam enim diximus,

sacrum

sacrum quendam instinctum non defuisse septuaginta senibus, postquam solenni actu impositæ illis manus essent. Et ipse Deus in Pentateucho eundem spiritum illis promittit, qui in Mose esset. Quare profecto tam futilis scientiæ præsidio non indigebant, qui meliora certioráque edocti cœlitus erant. Nos hunc ludæorum asininum stuporem non traduceremus, nisi Flavius Iosephus quoque summus scriptor, popularium commentis deceptus, similia aut stultiora delirasset. Eleazarum enim quempiam majorum gentium sapientem memorat, qui coram Vespasiano incantamenta quædam fanaticis adhibuerit, quæ summus rex Salomo in hunc usum à geniis accepta transmisisset ad posteros. Multa ille ibi refert, quæ satis digne exibilari non possunt. Nos putamus Iosephum, quo die istæc scripsit, aliquod purgamentum calcavisse. Adeò infeliciter, & præter morem suum, locutus aliena est.

Caput XIII.

De duobus aliis conciliis, quæ Ierosolymæ fuere præter senatum Sanhedrin. De senatu XXIII *virorum, qui in singulis oppidis. De triumvirorum collegio. Civita-*

vitatum quis modus esse debeat. De quinqueviris cædis expiandæ causa creatis. De septemviris & triumviris, qui annis & mensibus intercalandis præerant. Tempora à Rabbi Hillele Babylonio ordinata. Vis concilii Sanhedrin à Gabinio callidè imminuta.

DE senatu magno diximus, quæ in mentem inciderunt. Cætera concilia quæ fuerint, & cujusmodi, expediri paucis potest. Iam primum duo alia fuisse in ipsa urbe Ierosolyma eruditissimus Maimonides prodit in Halacha Sanhedrin, capite primo. Eorum descriptio in opere Talmudico est, tam in Misna, quàm in Gemara. In utroque viginti tres judices sedebant. Quemadmodũ autem magnum concilium Sanhedrin in templi parte erat, quæ Gazith dicta est, ita è duobus his synedriis unum ad portam atrii fuit, alterum vero ad portam quæ aditum aperuit ad montem templi. Etiam dignitas utriusque dispar fuit. Qui enim judices ad portam montis sancti sedebant, magnificum sibi duxere, si in senatum ascriberentur, qui ad portam atrii erat. Et rursum ex hoc senatu in concilium Sanhedrin ascendere, honoris gradus fuit. Quæ omnia accurate

tè Rabbi Maimonides distinxit. Porrò præter Ierosolymitana hæc concilia in singulis quoque Palæstinæ oppidis aliquis senatus juri dicundo, negotiisque publicis curandis constitutus est. Is erat viginti & trium virorum, qui de capite fortunisque civium judices sedebant, causasque omnes decidebant, exceptis paucis illis, quas ad consessum Sanhedrin relatas dixi suprà. Describit Maimonides etiam triumvirorum quoddam collegium, atque id fuisse in tali civitate ait, quæ centum & viginti incolas non haberet. Ego verò Aristoteli assentior, ne quidem esse eam civitatem. Quemadmodum enim navis non est, quæ aut palmi unius sit, aut duorum stadiorum: ita civitas nomen amittit, modus si desit. Nam & quæ parva nimis est, suis ipsa opibus non pollet, quod civitatis proprium est: & magnitudine nimia non civitas, sed gens fit. Sed non est tam anxiè hæc ratio cum Iudæo putanda. Triumvirorum fuit de injuriis, déque pecuniis & bonis mobilibus judicare. Qui capitalium criminum rei erant, apud alios, quos dixi, postulabãtur. Addit Maimonides [1], res quasdam ejusmodi fuisse, quæ

[1] *In Hal. Sanhedrin, cap. 5.*

quæ nec ad septuaginta senes, neque ad collegium viginti trium judicum, neq; ad triumviros pertinerent. opus enim ad eas peculiari quodam senatorum numero fuisse. Inter has cædem numerat, quæ patrata in oppidi cujusdam finibus incerto autore erat. Eam expiari oportuisse per quinqueviros, vitulæ mactatione, ait. Plura id genus refert, quæ prudens prætereo. Non enim dictata reddimus. Illud mireris, temporum quoque ordinationem selectis judicibus esse commissam. Nam de anno intercalari septemviros, de mense autem statuisse triumviros ait[1]. Sed hanc curam postea omnibus popularibus suis ademit homo sui seculi princeps, Hillel Babylonius, de quo viro honorificè illud testatur Rabbi Abraham Zacuth in libro Iuchasin: ר׳ הלל הנשיא תקן העיבור לכל ישראל קודם שתתבטל הסמיכה עד ימי המשיח: *Rabbi Hillel, magni concilii præses, composuit intercalationem toti Israeli usque ad tempora Messiæ. idque factum ab illo est antequam manuum impositionis legitimus actus abrogaretur.* Profectò ni Hillel iste tantis malis maturè occurrisset, turbata tempora confusaque fuissent. Non

[1] *In eadem Hal. eod. cap.*

Non enim multò pòst cessavit χειροθεσίας solennitas, sive qua septemviros triumviroſque corrigendis fastis præfectos fuisse, negat Maimonides, cum ait וכל אלו סמוכים *omnibus illis impositas manus fuisse*. Sed desinimus aliquando, ne quis nos credat accuratum opus moliri, qui nihil hercle, nisi tumultuarias commentationes, extrudimus. Quicquid autem de conciliis dictum à nobis est, ad eam referri tempestatem cupimus, cum nondum Iudæa Romanum victorem acceperat. Multa enim ille postea mutavit refixitque, non libidine aut sævitia, sed retinendæ dominationis. In primis Gabinius, Syriæ proconsul, cum stabilitas reipublicæ multò maxima in consessu Sanhedrin esset, dissipandam ejus vim plura per oppida existimavit. Quare pari potestate quinque Synedria Gadaris, Amathunte, Hierichunte & Sephoris constituit. quinta sedes Ierosolyma erat, quæ jam pars sui & accessio fuit. Sanè quæ in cæteris urbibus posita à Gabinio concilia sunt, cum deteriora Hierosolymitano non essent, etiam diutissime post illud stetêre. Mihi quidem de illis loqui Iustinianus Imperator videtur *in l. 17. C. de Iud. & Cæl.* cum canonem requirit *à primatibus, qui in*

utriuſ-

utrisque Palæstinæ synedriis dominabantur. Sed in hæc nos egressi non sumus. Rempublicam enim veterem, & intemerata gentis instituta spectavimus. Cætera exequi velle, quæ conversa identidem sunt, infelicis studii sit. Non enim de illis aliquid tradi certũ potest.

CAPVT. XIV.

De regis creatione, & an placuerit ea numini. Cur initio rex malus à numine adscitus. Quas res in illo legendo spectaverit vates. Liber de regni jure in sanctuario positus. Quarum rerum potestas data regibus Hebræis sit. Quis honos illi à Pontif. maximo, à sacerdotibus atque à vatibus delatus. Locus Samuelis contra quosdam interpretes stabilitus. Sedendi jus in atrio sacerdotum soli regi datum, non ipsis sacerdotibus, nec aliis. Cujusmodi regibus paruerint primi homines, ex Aristot. Quidnam Hebræis regibus sanctitatem adjecerit. Non eam hinc esse, quia vates fuere. Solos reges & pontifices maximos unctione fuisse initiatos. Vnguentum sacrum à Iosia defossum, nec post repertum aut usurpatum fuisse sub templo secundo. Reges Samariæ an uncti fuerint.

AIT Rabbi Maimonides in parte postrema Misnæ, Israelitas tria mandata

data accepisse à numine, quæ exequerentur cum Palæstinam tenerent. è quibus primum erat, uti regem sibi constituerent; alterum, uti memoriam obliterarent Amalekitarum; tertium de templi ædificatione fuit. Mox hæc ostendit longo quidem intervallo, diversisque temporibus, sed illo tamen ordine, quo jussa erant, confecta esse. quippe creatum regem esse, priusquam bellum cum Amalekitis gereretur. templi autem structuram non cœptam esse, nisi cum invisissimæ istius gentis extremus dies venisset. Testimonia istius rei illustria Maimonides recitat, quæ huc transcribere supervacuum est. In Deuteronomii capite decimo & septimo summus Deus, cum Israëlitas expetituros regem aliquem ait, causam adjungit, quæ verissima est, quod omnes in vicino gentes sub unius imperio vivebant. Ita enim est natura ingeniumque hominum, illam orbis partem qui habitant. pauci libertatem, pars magna justos dominos volunt. Nec vanè apud Tacitum Claudius Civilis ad Batavos suos ait, *Servire Syriam, Asiamque, & suetum regibus Orientem.* Hoc ita cum sit, permulti mirati sunt, cur indignè tulerit Deus, summam rei à Samuele ad regem ali-

quem transferri, siquidem illud & probaverat antea, & futurum pro indole dixerat sacri populi. Sed illis eruditè respondit Maimonides, atque indignationem numinis ex eo esse ortam ait, ששאלו בתרעומת ולא שאלו לקיים המצוה אלא מפני שקצו בשמואל הנביא שנאמר כי לא אותך מאסו כי אותי מאסו: *quia regem concupivissent per ambiguas querelas, seditiosasque voces, non uti legis præceptum peragerent, sed quòd displicebat illis sanctissimus vates Samuel, ad quem vox illa numinis extat,* [1] *Non te illi, sed me fastidiverunt.* Equidem ego sic opinor, atque id asserere non dubito, Deum immortalem non caritate, aut reipub. curâ, imperium Sauli dedisse, sed, quoniam arrogantiam sævitiamque ejus introspexerat, comparatione deterrima gloriam Samueli quæsivisse, ut tali successore desiderabilior ille quandoque foret. Fortuita & externa videntur, sed ingens momentum habent, quæ spectata à Samuele esse in regis electione, proditum ter quaterque in sacro codice est, decora facies, corpus procerum, atque alia, quæ oculos omnium animosque trahunt. Hæc sunt, quæ summus vates in media concione

[1] *In lib. 1. Sam. cap. 8. vers. 7.*

cione commendavit, cum locutus in istæc verba est. [1] *Videtisne, quem elegit Deus, non esse ei similem in toto populo?* Quare profectò non jam barbarorum illud duntaxat, sed hominum etiam exculti ssimorum est, majestatem corporis venerari, magnorumque operum illos capaces putare, quos eximia specie natura donavit. Aristotelis, maximi autoris, scitum est, si qui nascantur tantò aliis corpore excellentiores, quantò simulacris hominum antecellunt deorum imagines, dignos videri reliquos, qui his serviant. Quod si in corpore hoc verum est, multò rectius de animo id statui. sed non eadem facilitate animi pulchritudinem, atque corporis, cerni. Sed nos hæc aliorum commentationi relinquimus. Est in Biblico codice [2] mentio voluminis cujusdam, in quo sacrata regni jura scripsit Samuel, eaque sic literis tradita in tabernaculo deposuit. Sed quæ referuntur illîc, haud recte assecutus Flavius Iosephus est. credidit enim comprehensa illo libro esse omnia mala, quæ metuenda ab iniquo rege prædixerat Deus populo. Nos contra existi-

[1] *In lib. 1. Sam. cap. 10. vers. 24.* [2] *In lib. 1. Sam. cap. 10. vers. 25.*

mamus, fuisse in illo libro eas leges, quæ jubebant uti justitiam atque æquitatem rex coleret, utque rempublicam bene atque ex utilitate civium moderaretur: tum ne stupris aut libidinibus principem ageret: postremò, uti in magna fortuna modestiam retineret, quæ nec summis mortalium aspernanda est, & à Deo æstimatur. Ea res his verbis tradita in Deuteronomio est: *constitue regem, quem Deus elegerit ex popularibus tuis. Ne alienigenam hominem regem facito, qui non sit de gente tua. Cum autem fuerit constitutus, ne comparet sibi equos multos quos is confisus reducat populum in Ægyptum. edictum enim vobis est, ne amplius eam viam repetatis. Sed nec uxores habeat plurimas, quæ pelliciant animum ejus, neque argenti vel auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio, describat sibi exemplum legis hujus, ex illo volumine, quod penes sacerdotes Levitas est, habeatque illud secum, & legat omni vita sua, uti discat vereri Deum suum, ejusque sanctiones observare, atque ut animus ejus non efferatur superbia, contemnatve cæteros.* Hæc legis verba nec obscura sunt, & summam continere ejus voluminis videntur, quod maximus vates in sanctuarium recondidit. Diximus antea, Iudæos rem-

rempublicam ejusmodi habuisse, quæ in Biblico codice regnum sacerdotale [1] appellatur. Ex quo fit sanè, ut reges eorum non res modò civicas domi militiæque moderati sint, sed religionibus etiam, sacrisque, & ceremoniis præfuerint. erant enim personæ ἱερωσύνης [2], quibus numinis jussus, & vatis vox, autoritatem, decus, atque imperium dabat. Quamquam profectò, quemadmodum præfectura sacrorum, summaque potestas, & judicium ad illos pertinuit; ita ministerium curationemque earum rerum Levitæ, hoc est, pontifex, sacerdotesque atque adjutores eorum, suo jure, sibi vendicaverunt. Id enim illorum erat, victimas cædere, expiationes facere, leges divinas coram populo recitare, item alia munia in templo obire. Præclarè annotatum à Talmudicis est, quantò major omnibus & prophetis & pontificibus rex fuerit. Nos id obiter ex Maimonide referemus, cujus hæc verba sunt [3], מצוה על הכהן גדול לכבד ארץ המלך ולהושיבו ולעמוד מפניו כשיבא לו ולא יעמוד המלך לפניו אלא כשישאל לו במשפט

[1] *De quo supra, in cap. 8. pag. 48, & in lib. Exod. cap. 19. vers. 6.* [2] Id est, *sacratæ.* [3] *In Halacha Melachim, c. 2.*

משפט האורים: אפילו נביא עומד לפני
המלך משתחוה ארצה שנאי הגרה נתן הנביא
ויבוא לפני המלך וישתחו למלך על אפיו ארצה:
Ea ſententiam fermè habent ejuſmodi: *Sancitum fuit, uti pontifex maximus regem veneraretur, & locum illi ſuum ad ſedendum cederet, atque ipſe ſtaret, ſi quando veniret ad eum rex. At è contra, rex non ſtat præſente pontifice, niſi cum conſulit ſolenni ritu oraculum Vrim. Præterea tanta regis dignitas eſt, uti vel ipſe vates, quoties ei adeſt, in terram humiliter ſe ſummittat. quippe ſcriptum eſt, Nathanem prophetam veniſſe coram rege & ſpecie honoris prono ore procubuiſſe in humum.* Quid quod ipſe David, quem pridem antea vates regem fecerat, adeò veritus non eſt ſummi pontificis decus uſurpare, uti ſacrum ejus amiculum, quod Ephod appellant, induerit ſibi, ac mox quæſiverit ex numine, an auſpicatò eductus copias in hoſtem eſſet? Locus ille illuſtris extat in commentariis Samuëlis, quem omninò perverterunt nuperi interpretes, viri hercle eruditiſſimi, ſed qui hîc dormitaviſſe, aut egiſſe aliud videntur. Iudices ego eos omnes fero, qui vel leviter has literas attigerunt. Ecce illa verba[1]
ויגיש

[1] *In lib. 1. Sam. 30. verſ. 7.*

ויגיש אביתר ארז האפוד אל דוד sic reddita ab illis sunt, *applicavit sibi Ebiathar amiculum Davidis causâ*: cum planè illud significetur, quod nos diximus, Davidem, acceptâ Ebiatharis sacra veste, oraculum consuluisse. Sed referamus porrò, quæ ex Rabbinorum scriptis sublegimus. Vtique etiam in illo positus apex dignitatis fuit, quod Rabbi Maimonides tradit in capite secundo in Halacha Melachim, & in cap. septimo Hal. Beth Habbechira, שאין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דוד בלבד: *nulli homini fas fuisse in toto templi atrio sedere, præterquam regi, qui ex familia Davidis esset.* Quare & illud ibidem paulò antè ait, אם נכנס לעזרה והיה מזרע דוד ישב: *si intret atrium, & sit de familia Davidis, sessio ei est.* Erat quidem illud atrium certis spatiis divisum, ut pars hæc sacerdotibus, illa populo esset assignata: sed tamen ne præscriptos quidem terminos aliter sacerdotes, quàm stantes, tenebant. Senatoribus Sanhedrin autem sedendi jus fuisse, sed בחצייה של חול: *in medio ejus loci, qui prophanum vulgus capiebat*, autor Maimonides est in Hal. Beth Habbechira in cap. septimo. At sacratiora atrii spatia neminem sedentem, nisi regem, adspexére; ut hoc ille eximium præ sa-

cerdotibus habuerit, quasi Deum propius contingeret, & religionum major antistes esset. Vtique, si ad alias gentes eatur, Aristoteles primos mortalium ait fermè habuisse eundem & regem & sacerdotem. Id quod haud pravum videri potest, propterea quòd illi naturam adhuc incorrupti sequebantur, & quantò propius ab ortu & divina progenie aberant, tantò melius, quæ erant recta, cernebant. Sed ut de Hebræorum regibus dicamus, magnopere ea res conditionem illorum sacravit, quod unctione initiati essent. Hoc enim illis, pontificibusque maximis proprium fuisse Talmudici tradunt. Ex sacerdotibus autem illud adjungit, qui משוח מלחמה ab ipsis dictus est propterea quòd auspiciorum causâ ungebatur, ut prosperè res bellica succederet. Ea unctio celsitudinem quandam divinam regibus, majestatemque addidit, sacrosancti in terris ut essent, & commercia cum numine haberent. Sanè, quod interdum illi eâ tempestate ceremonias, religionesque constituerunt, aut restaurarunt, nequaquam illud ex hac re factum est, quia vates fuerunt. perperam id existimatum à quibusdam est, neque probari hercle potest. Etenim, si Davidem unum, &

for-

fortaſſe etiam Saulem, exceperis, cæterorum nemo quiſquam divino afflatu futura prædixit. Sed omninò Salomo, & Ioſaphatus, Ezechiaſque, & Ioſias, atque alii jus & poteſtatem in res divinas exercuerunt, quia vis ſacri unguenti pervaſerat ad eos. Hoc unguentum conficere Moſes juſſus eſt, ex illis aromatum generibus, quæ Maimonides deſcribit in Halacha Cele Hammikdaſch in capite primo. Ajunt autem Talmudici, adhibitum illud initiationi, conſecrationique fuiſſe uſque ad tempora Ioſiæ, qui illud in templo recondidit ſub humum in loco abdito ſecretoque, quem diu ante ſumma cura rex Salomo paraverat, cum ex vatum reſponſis didiciſſet futurum olim uti templum ab Aſſyriis ſolo æquaretur. In eodem ſpecu Talmudici arcam quoque icti fœderis teſtem, & Aronis baculum, tum lapides Vrim & Tummim cum reſiduo Mannæ poſuiſſe Ioſiam tradunt, eorumque omnium nihil quidquam Iudæis reſtitutum eſſe, cum reverſi Babylone in patrias ſedes templum ſecundum extruerent. Quare ex illa tempeſtate regibus, pontificibuſque haud fuit ex initiationum myſteriis eadem majeſtas. Sed nec ceremoniis pleriſque ac ſacris tam præſens

adfuit

adfuit numen, ut ante solebat. Iactant illa vulgò Iudæi, quæ in libro Iuchasin refert Rabbi Zacuth: אש על המזבח רובץ ככלב כי בטל כחו שחסרו חמשה דברים בבית שני ובבית ראשון היה כאריה: *Ignis super altare cubabat, tanquam canis, quia vis ejus extincta erat, postquam quinque res defecere in posteriore templo. At in priore erat ignis iste velut leo.* Enimverò ait eruditissimus scriptor, illa quinque defeciſſe, quæ jam diximus sic occultata à rege Iosia esse, nunquam ut postea reperta à nepotibus sint. Ponam in extremo, quod pene me fugerat, quia leve est. Placuit Talmudicis, reges Israëlis, qui, secessione à Iudæis facta, sedem imperii Samariam tenebant, haud delibutos illo oleo fuisse, quod ex edicto numinis confectum à Mose erat. quare Eliam non nisi balsamo vulgari usum esse, cum Iosaphati filium Iehu ungeret. Sed ipsi addunt שרבר זה מסור ביד החכמים: *id modo sic traditum à sapientibus esse.* ut jam non magnopere laboremus, quàm hoc verum sit.

CAPVT XV.

Quibus artibus Hieroboamus ad regnum obrepserit. Rerumpublicarum inclinatio, conversioque. Scipionis prudentia vere-

verecundiaque in lustro condendo. Carmen lustrale pro republica. Ingenium plebis quale. Cur urbem Sichemum tenuerit Hieroboamus. Religionum sacrorumque mutatio quoddam flagitiosæ dominationis arcanum. Ex decem tribuum secessione quot mala extiterint. De Sesostri falsa Herodoti narratio. Regni Samaritici eversio. Transportatio gentium cur à victoribus facta. Iudæorum exilium. Ex Ierosolymæ spoliis templum Beli, & Babylonis munitio, tum pensilia nemora, murique coctiles. Græcorum futilitas, ex Beroso. Reditus Iudæorum in Palæstinam. Imperium ad Levitas devolutum. Contentiones eorum de imperio.

GEntis Hebrææ unitas, & pulcherrimi imperii contextus in duas partes dissiluit, Hieroboami, hominis gnavissimi acerrimique, artibus, qui, quod apud Aristotelem Thessalus ille ait, esurire sibi visus fuit, ni imperitaret. Is, cum in bello tribui Iosephi præesset, atque à vate adductus in spem regni esset, ratus, id quod res est, principatum fato dari, animum vastum cupidumque ad obtinendam dominationem flexit. Iam primum fidem militum solicitavit, eorumque studia à Salo-

Salomone avertere ad se conatus est. Sed cum palam esse id consilium intellexerat, supplicium ut vitaret, in Ægypto delituit. Mox defuncto Salomone, in patriam reversus, opportunos magnis conatibus reperit transitus rerum. Ibi tributorum onera, exactionumq; iniquitatem obtentui sumpsit ad commovendam plebem, omniaque late turbavit, & maximarum calamitatum, quæ Palæstinam mox invasere, autor fuit. Enimvero, est hoc ita natura comparatum, nullius ut magnæ civitatis diu eodem loco stet fortuna. Pervenerat tunc ad summum felicitatis Hebræa respublica. Tutæ, tranquillæque res omnes, adfluentia opum incredibilis, reges principesque in vicino, atque etiam procul, amici erant. Neque jam ultra fuit, quo exurgeret ejus magnitudo. Quare, incrementis consumptis, restabat uti fati lege decresceret, iretque in pejus. Id quod profecto longe est in conditione rerum humanarum miserrimum. Scipio Africanus, cum censor esset, & lustrum conderet, atque in sacrificio solenne carmen ei scriba præiret, quo dii immortales rogabantur, ut populi Romani res meliores amplioresque facerent, satis esse eas bonas ac magnas dixit. Itaque precatus

catus est, uti eas perpetuo incolumes servarent: ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum emendari carmen jussit. Vtique videbat vir cordatissimus, neutiquam fieri, ut muneribus suis semper faveat cœlestis benignitas, aut propria ea cujusquam populi faciat. Quare conversiones vicissitudinesque formidavit, atque omnino eas causas animo suo peregit, quæ ex ipsis rebuspublicis enatæ, nullo extrinsecus impellente, turbant eas plerumque, vitiantque. Sane quidem Ieroſolyma, florentissima urbium, cui David Salomoque, summa virtute atque prudentia duo reges, pacem altam & securam confecerant, haud diu quiescere potuit. Etenim, defuncto Salomone, etsi hostem foris non habebat, domi tamen reperit. Exortus est is, quem dixi, Hieroboamus, inquietissimus mortalis, qui tentatum semel infeliciter facinus, mox meliore successu perfecit. Concione enim convocata, statum publicum, temporumque conditionem, & principis acta incusavit apud plebem, cui inesse semper malignum quiddam & querulum imperantes sciret. Ipse interim libertatem, & alia id genus specioſa nomina prætexuit, cum nihil, nisi alienum servitium,

tium, & dominationem sibi, concupisceret. Ibi magna populi pars, quod fieri solet, violentis his vocibus inflammata, deteriori accessit; seditionesque & motus civiles exstitere, quibus interire ferme aut mutari vetustissima regna, atque maximæ respublicæ solent. Dehinc dux turbulentissimus illas ipsas decem tribus, quas ad rebellionem solicitaverat, procul à Ierosolymitanorum finibus detinuit, atque urbem Sichemum, imperii tutam sedem, sibi elegit, unde in omnia regimen foret. Cæterum, quo firmius cœptis insisteret, patria instituta multa immutavit, & diversum quendam numinis cultum, atque alia sacra commentus est. Vitulorum enim adoratione sancita, veterem superstitionem novo paxillo suspendit, populumque quem causæ bonitate retinere in officio nequivisset, religione, quæ rerumpublicarum quoddam coagulum est, devinxit sibi. Quare ex illa tempestate profectò, decem Israëliticæ tribus, dulcedine sacrorum & nectare ebriæ, fidem societatemque cum Ierosolymitanis colere, & res cum illis communes habere, quasi numinis imperio, recusabant. & jam, ut quælibet alia causa hostilis odii abesset, summa tamen

ratio

ratio videbatur, quæ pro religione faceret. Ita demum regnum constitutum est, quod Israëliticum dicebatur, à quo diversum deinceps fuit Iudæorum regnum, cujus arx & caput Ierosolyma erat. Atque hæc igitur res omnium malorum causa Hebræis fuit. Defessi enim, exangueſque, nationibus exteris præda facti sunt, quos antea non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ movere aut contundere quibant. Statim Susacus Ægyptius sacram urbem, templumque expilavit, &, ne contumelia deesset, columnas passim dispositi, in queis, fœdum dictu, incisa mulierum verenda erant. Nam quod Herodotus factum id à Sesostri esse prodidit, error nominis est, uti rectè Flavius judicavit. Et erant hæc quidem aspera profectò. Sed quæ postea uterque populus, Iudæus Israëliticusque, multo tempore interjecto, perpessus est, graviora fuerunt. Ac primò quidem destructum penitus, eversumque decem tribuum imperium à Salmanassare Assyrio est, traductaque in Mediam Persiamque tota illa gens vacuas sedes Chytæis reliquit, hominibus profanis, quos mox deinde Esar Caddon in Palæstinam ex Persia misit, Israelitarum ut terram inco-

lerent; quemadmodum mos regibus fermè est, gentes pro libidine huc illuc transferre, pecudum in morem, quas pastores nunc in hibernos, nunc in æstivos saltus trajiciunt. Ita enim ingenia populorum emolliuntur, mutanturque; &, qui in suo solo quidlibet audent, placidi quietique in alieno sunt. Nunquam deinde Israëlitis in patriam remeare, aut deletam perditamque instaurare rempublicam contigit. Vsque adeò enim sese nefario impietatis crimine obstrinxerant, uti placare numinis iram longa dies, revolutusque seculorum ordo nequiverit. Postquam Israëlitæ in exilium abducti erant, restabat uti Iudæi quoque meritam pœnam luerent. Id quod profectò factum est, sed sero admodum. Qua enim tempestate Sedecias illis imperitabat, Nabuchodonozor cum ingenti exercitu Ægyptum, Syriamque armis domuit, ac Ierosolymam, & templum, quod illîc erat immensæ opulentiæ, in cineres redegit. Inter quæ ille, nuntiata Nabolassari morte, cum regni hæreditatem adire magnis itineribus maturaret, negotium ducibus suis dedit, uti Iudæos Babylonem, & circum ea loca deducerent. Atque ibi mox sedes illis, agrosque assignavit, in queis novi colo-

coloni vitam agerent. Superſunt veneranda antiquitatis monumenta ex Beroſi annalibus, in queis ſcriptum eſt, Nabuchodonozorem ex ſpoliis, quæ inde reportavit, templum Belo extruxiſſe, urbemque Babylonem pro majeſtate imperii auctam coctilibus cinxiſſe muris. ad hoc, hortos aerios, & nemora penſilia feciſſe, in gratiam uxoris, quæ in montanis Mediæ educata, ſylvas ſpectare, in edito quæ eſſent, amabat. Ex quo fit, uti vanum & nihili ſit, quod magno conſenſu Græci tradiderunt, admiranda ea opera extructa à Semiramide fuiſſe. Confutat enim eos apud Flavium autor omni exceptione major, Beroſus Chaldæus, quem & antiquiſſimum eſſe, & ſumma religione ac fide res populariorum ſuorum ad æternitatem conſecraſſe, creditum ab omnibus eſt. Iudæis neque graveis pœnas ſummus Deus, neque nimis longas inflixit. In exilio enim miti, facilique, tanquam in patriis ſedibus, vixêre. Ac dein, circumacto ſeptuaginta annorum orbe, redditi Palæſtinæ ſunt, & Ieroſolymam templumque ædificarunt, conſtitutaque iterum reſpublica eorum eſt. Hîc verò ſtatus rerum longè alius, quàm antè, fuit. Etenim imperium,

quod penes Davidis posteros quondam fuerat, nunc Levitæ, vario quidem illi & diverso modo identidem, sed tamen Levitæ usurparunt. Ii homines, summam potestatem nacti, rempublicam quidem ditissimam maximamque fecêre, sed ipsi inter se, dum de imperio, honoribus, gloria certabant, divina atque humana promiscua habuere. Ita nihil ad pietatem modestiamque illis sanctissimum nomen religionis profuit, quos ex cæterorum civium communione selegerat sibi, sepositueratque olim Deus, uti inter sacra ceremoniasque, procul ambitione, ætatem agerent.

CAPVT XVI.

Reipublicæ regimen apud pontifices. Eorum flagitia, & improbæ machinationes. De Eliasibi filiis. Templum Garizitanum qua impietate exstructum sit. Oniæ detestabile scelus. Matthias Hasmonæus laudatissimus dux. Principatus Judæ Maccabæi. de Alcimo nequissimo bipedum. Judæa iterum sub regibus. De Herode. de Idumæis, & numine eorum Cosa. Sameæ vera divinatio. Qua iniquitate Herodes imperium exercuerit. Vt Judæorum leges temeraverit.

Ex

Ex Levitica gente, post templi urbisque restaurationem, primum pontifices rebus gerundis præfuerunt, nullo principis aut regis nomine assumpto. Apud hos omnis gratia, potentia, divitiæ erant, aut ubi illi volebant, cæteri vulgus erant, sine honore, sine auctoritate. Itaque tanti muneris decus non mediocribus consiliis appetiverunt, qui Levitæ modò essent. quidam per vim, plures fraudibus, fallaciisque, at pauci vera via illuc nitebantur. Nihil turpius cogitari potest, quàm quod post Eliasibi pontificis mortem duo filii fecêre. Nam & Iesus summum sacerdotium, ope Bagosis, ducis barbari, per nefas fratri Ianni ereptum ibat, qui ritè illud, atque ex lege acceperat: & Iannes, ut acceptum retineret, majus flagitium in se admisit. illum enim ipsum Iesum, in templo numinis, atque inter religiones, manu sua obtruncavit, fratrisque sanguine respersit aras. Ianni non multo post successit Iaddus. Atque hujus pontificatum rursus Manasses frater speravit. Sed is Manasses, cum contra legis edictum Sanaballetæ filiam, mulierem peregrinam, in matrimonio haberet, orta hinc populi seditione, intellexit aut solvendam sibi affinitatem soceri potentissimi,

mi, aut hercle, quod secundum erat, amittendam spem esse summi sacerdotii. Hîc cum diu anxiam mentem in partes varias egisset, tandem, communicatis cum socero consiliis, facinus nobile concepit, quod omnis posteritas loquitur, sed nulla probat. Templum enim ædificare in Garizin, monte Samariæ altissimo, destinavit, ejusque rei potestatem mox ab Alexandro per Sanaballeten accepit. Ita, qui Hierosolymæ fungi ampliſſima dignitate, propter violatam legem nequibat, in adulterino templo, saltem quo poterat pacto, pontifex fuit. atque id assecutus, jam digito cœlum se putavit attingere. En cor nequissimi hominis, in quo tu dubites ambitio major, an impietas fuerit. Et tamen exile hoc videtur, præ ut alia sunt, quæ Onias quartus fecit, cupidine dominationis. Is, pontifex factus, cum imparem se Iasonis factioni cerneret, in gratiam Antiochi Epiphanis, quòd illo defensore indigebat, leges Mosaicas ejuravit: pro quibus religiones & ritus susceptit Græcorum. tum &, ne circumcisionis notas in corpore gereret, præputium arte medicâ paravit, suisque omnibus, idem ut facerent, author fuit. Demum Antiochi Epiphanis impietas, ministro

hoc

hoc pontifice, omnia Iudæorum instituta pervertit. Et jam nihil prisci integrique moris supererat, cum Matthias Hasmonæus, magnus rerum restaurator, armis sumptis, leges suas Iudæis reddidit, remque publicam principis nomine sub imperium accepit. Mortuo illo, principatum Iudas gessit, is, qui Macchabæus dictus est. Sed vis tamen magna, auctoritasque in pontifice fuit. Quare Antiochus Eupator postea, Ierosolymam dolo ingressus, cum Oniæ diffideret, quòd pendêre ex illo populum & rerum momenta cernebat, pontificem in loco ejus Alcimum fecit. Sed is, sacrum honorem ubi adeptus esset, longe pravior fuit. Statim enim ad Demetrium Seleuci filium transiit, principemque Iudam, quem ferre imperitantem nequibat, criminatus apud regem est. Inquieta in se res impietas est. nunquam uno scelere contenta fuit. Igitur Bacchiden regium præfectum, cum armatâ manu, adversus patriam adduxit: reversoque illo, re infectâ, ad regem, copias militares, quas à Bacchide acceperat, concursu hominum sceleratorum auxit. Omnes undique parricidæ, sacrilegi, adulteri, quos flagitium conscius-que animus exagitabat, ad Alcimum

venêre. & ipse blanditiis, alloquiis, largitione, omnium officia provocabat. Ad extremum, præclarus hic pontifex muros etiam sanctuarii, qui à vatibus atque ab Hasidæis erant ædificati, diruere paravit, ut hoc quoque ad ejus laudes accederet. Sed talia agentem atque meditantem mors occupavit, constitutusque in ejus loco pontifex à populo Iudas est, qui omnium primus summum sacerdotium unà cum principatu gessit. Hoc idem post eum Ionathas, Simon, & Iannes fecêre, donec Aristobulus, posito principis nomine, regem se tulit. Ita tandem, post Sedeciam extinctum, reges iterum Iudæa accepit, sed Levitas utique, quorum ultimus Antigonus fuit. Illo pulso occisoque regnum Herodes tenuit, quod ante à Romanis acceperat, homo non hercle regia stirpe, neque sacerdotali familia ortus, sed de Idumæorum gente, insititius Iudæus. Non enim Idumæi verè Iudæi erant, sed habiti modò appellatique Iudæi sunt, ex qua tempestate eos Hyrcanus religiones ceremoniasque suscipere veri numinis coëgit, cum antea Deum, nescio quem, Cosan colerent, cujus sacra semper custodierat illustris in illa natione Costobarorum domus. Celebrata

brata est Sameæ vaticinatio, qui Herodem Iudæis regem datum iri, sed in pœnam pestemque, multò antè prædixerat. Neque profectò aliter cecidit. Statim enim Idumæus ille Aristobulum pontificem, admodum adolescentem; mox Hyrcanum ex Parthis allectum; postremò quicquid de Hasmonæorum sanguine supererat, extinxit sustulitque. Neque melius actum cum septuaginta senibus est, qui assessores magni concilii erant, quod Sanhedrin appellitant. Ita submotis omnibus, unde metus aut periculum erat, paulatim insurgere, atque ex magno imperio usurpare licentiam cœpit. Patria enim Iudæorum instituta mutavit, nova invexit, multa contra leges fecit. de quâ re sic loquentem audire Iosephum libet: ξενικοῖς ἐπιτηδεύμασιν ὑποδιέφθειρε τὴν πάλαι κατάστασιν, ἀπαρεγχείρητον οὖσαν· ἐξ ὧν οὐ μικρὰ καὶ πρὸς τὰ αὖθις χρόνον ἠδικήθημεν, ἀμεληθέντων ὅσα πρότερον ἐπὶ τὴν εὐσέβειαν ἦγε τοὺς ὄχλους. *peregrinis studiis veterem disciplinam labefactavit, in qua nihil novi tentatum erat. Ex qua re nostris his, quæ pòst insecuta sunt, temporibus, non mediocriter læsi sumus. Neglectui enim habita ea omnia sunt, quæ antea multitudinem ad pietatem perducebant.*

CAPVT XVII.

De Meßia, Iudæorum atque gentium omnium rege. Myſtica vocis ſcriptio in verbis Eſaiæ. Bileami vaticinium ex Iudæorum interpretatione. Quid ſingulare in hoc regno. Rabbi Abrami animadverſiones in Maimonidem. Ezechielis obſcurißima oracula de templo, deque ſacris in regno Meßiæ. Nimis imprudenter in iſtæc inquiri.

ATque hunc quidem in modum, poſt reditum Iudæorum ex Babylone, imperium ii tenuêre, quorum id minimè fuit, primùm pontifices, mox principes Haſmonæi Levitæ, dein reges ex eadem tribu, ac tandem Herodes Idumæus, is, ſub quo natus Meſſias eſt, rex regum, ex familia Davidis ortus, ad quem unum referri demum illud oportet, quod promiſerat Davidi Deus, æternum fore ſolium ejus, conſeſſuramque in illo prolem ejus. Non enim profectò de Salomone illud, neque de nepotibus ejus dictum eſt, ſiquidem illi regnum ſemel amiſſum nunquam poſt exilium Babylonienſe receperunt. & omninò vana falſaque fuiſſet numinis promiſſio. quod cogitare ſumma impietas ſit. Quare ita haben-

bendum est, prolem eam esse Messiam, libertatis nostræ vindicem asserto-remque, de quo angelus istud pronuntiavit, quod scriptum apud Divum Lucam extat, τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος. *regnum illius sine fine erit.* Ea verba traduxit angelus ex Esaiæ capite nono, ubi Rabbi Iarchi notavit, דרך דרש הסופרים שהמ״ם סגור בתוך המלה: *subtili quodam disceptationis modo quæsitum olim à scribis esse, cur in medio vocis, contra quam fieri solet, positum à vate* ם *clausum sit.* Vtique haud de nihilo fuit tam anxia hæsitatio. & visum Talmudicis est, significari ea re mysterium quoddam ingens, quod non promiscuè, nec omnibus pateret, sed reductum, & in interiore sacrario clausum esset. Cum permulta extent in sacro codice oracula de rege maximo Messia, nullum æquè Iudæi dignum admiratione existimant, quàm illud, quod numinis instinctu effatur Bileamus in Numerorum capite vicesimo & quarto. Sed iidem, cum sensa vatis penitus introspicerent, sagaciter deprehenderunt, non istæc de uno rege dici omnia. quare ita dividundum esse oraculum, pars ut ejus ad Davidem, qui ex Iudæâ stirpe primus regnũ tenuit, cætera ad Messiam pertineant, ultimum quidem

quidem ex eâdem ſtirpe regem, ſed majorem cæteris, potentioremque. Quæ perſecutus accuratiſſimè Maimonides eſt in fine Miſnæ. Ibidem etiam maximus magiſter eos refellit, qui alium naturæ vultum, & rerum perpetuò euntium novum curſum in regno Meſſiæ exſpectant. Non enim intellexiſſe eos Eſaiæ verba ait, *quæ ſunt in capite undecimo: eſſe enim illic ænigmata quædam, quibus ſignificatum eſt, quietem piis boniſque omnibus fore inter nefarios & ſceleratos, nihil ut metuendum ab illis ſit.* Nam quod Rabbi Abraham, Davidis filius, Maimonidem hîc reprehendit, & ex legum Moſaicarum *libris illud recitat,* השבתי חיה רעה מהארץ penitus diverſum eſt, & ad tempora Meſſiæ non pertinet. Sed profectò perſæpè ſolet acris ille & diligens vitiorum Maimonidæ animadverſor quædam ejuſmodi ſublegere, quæ ſpeciem magis ſolidæ rationis, quàm vim habent, & excuſſa evaneſcunt. Quoties ſacra, *cere*moniaſque & religionum ſolennia perluſtro, quæ in extrema parte libri ſui ſanctiſſimus vates Ezechiel deſcripſit, ſubit animum meum cogitatio, quid ea velint, aut quò referenda ſint, adeo diverſa ſunt ab iis, quæ Moſes præce-

præcepit, neque unquam usurpata à Iudæis sunt. id quod ipsi confitentur. Sed quid de illis habendum sit, constitutum in Talmud est, in tractatu, quem Menachoth appellant. Breviter autem rem complexus Maimonides est in Misna, libro octavo, cap. 2. Neque nos pigebit verba ejus hîc referre. Ait igitur, כל שיעורי הנסכים האמורים בספר יחזקאל ומנין אותן הקרבנות וסדרי העבודה הכתובים שם כולם מילוים הן ואין כוהגין לדורות אלא הנביא צוה ופירש כיצד יהיו מקריבין המילוים עם חנוכת המזבח בימי המלך המשיח כשיבנה בית שלישי: *Omnes modi libaminum, de quibus agitur in libro Ezechielis, & quæcunque illic scripta extant de numero oblationum, deque ordine divini cultus, nihil sunt nisi sacrificia pacifica, quæ mortalium seculis usurpata non sunt, neque in morem popularem transivêre. Iubet autem exponitque vates, quo pacto peragere debeant sacra pacifica in dedicatione novæ aræ, temporibus Messiæ, cum extruetur templum tertium.* Non est hoc somnium Iudaicum, neque Talmudicorum commentum. vera certaque res est. aliud templum, quod in Messiæ regno foret, aliaque sacra descripsit vates: atque etiam structuram templi, atria, portas, cæteraque ad legem operis accuratam

ratam exegit. Quare Iudæi ajunt, formam ejus non planè intelligi: Ezram autem, cum ædem ſecundam, ad inſtar ædis Salomonicæ, conderet, etiam illa ſecutum eſſe, quæ de tertio templo Ezechiel præcipit, ſed non ultrà, quàm captus hominis ſanctiſſimi fuit in re obſcura implicataque. Hoc illud eſt, quod ſignificavit ſummus Rabbinus iis verbis, quæ ſubjecimus ex *cap. primo*, Halacha Beth Habbechira: בניין שבנה שלמה כבר מפורש במלכים : וכן בניין העתיד להבנות אף על פי שהוא כתוב ביחזקאל איכו מפורש ומבואר ואנשי בירת שני כשבנו בימי עזרא בנוהו כבניין שלמה ומעין דברים המפורשים ביחזקאל: Eſt tamen Iudæorum hallucinatio in eo non levis, quod extructum iri à Meſſia ædem ejuſmodi ſperant, quæ adſpici, adiri, & pedibus calcari poterit. Quod ſecus eſſe, nos profectò, qui in Meſſiæ regno nati ſumus, intelligimus. Omnia ea, quæ de modo ædificii, déque partibus ejus dicta illîc ſunt, occultiorem ſenſum habent. ſingula autem quid *ſignificent*, aut quo pacto ſint explicanda, difficile dictu eſt. Ego hercle, quod Xenophanes Colophonius apud Marcum Terentium Varronem ait, id omnibus hîc ſuadeo, uti *quid putet quiſque, non quid contendat, ponat. hominis enim*

enim est hæc opinari, Dei scire. Vtique Iudæi, cum גמרין appellent quasdam Biblici codicis partes, quarum interdicta lectio adolescentibus, juvenibusque est, in earum numero illa ponunt, quæ vaticinatus in fine libri sui Ezechiel est. Neque id injuriâ illos statuisse existimo. Est enim omnis sermo ille numero Platonis obscurior. Advocent industriam suam omnes, qui se divinæ sapientiæ consultos videri postulant. Sudabunt satis, antequam minimum quiddam earum rerum, illîc quæ reconditæ sunt, aperiant.

Benè qui conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum.

Sed multa conjectanti, opinor, nihil procedet. Pro certo constat, hæc & alia hujus generis quædam esse, quæ adiri humanis animis summus Deus noluit. Etsi enim in hac Euangelii luce ingens progressio facta ad cognitionem, scientiamque sit, aliquid tamen relictum admirationi est. Quare in his oraculorum arcanis ultra id tendere, quod in expedito spiritus sacer posuit, stolidæ audaciæ sit.

Caput XVIII.

Status Iudæorum post Messiæ adventum. De restitutione Iudæorum, quæ adhuc exspe-

exspectatur. Quæ sit dignitas etiam hodie illius gentis. Quantum Iudæis nostra debeat religio. An sacri libri ab illis interpolati aut corrupti? de Masoritarum diligentia & fide.

IVdæos sacerdotium regium, genusque hominum electum dici, & sacra sua religionesque ab illis solis suscipi tantisper voluit immortalis Deus, donec ille dies illuxisset, qui Messiam terrarum orbi repræsentaret. Ex eo tempore, Dei filius beneficia cœlestia, quæ diu propria uni genti fuerant, communia esse omnium voluit, idque per dissitissimos populos nuntiatum solis profuit credentibus. Atque hîc verò demum admiranda quædam fuit rerum conversio. Summum enim salutis auspicem, qui cœlestia regna reliquerat, uti rebus hominum lapsis succurreret, cum gaudio & veneratione receperunt profanæ nationes. At Iudæi, quem constituto tempore & loco venturum significaverat olim non unus vates, eum venisse jam & adesse præsentem non intellexerunt. Tanta vecordiæ vis eos pervaserat. Cæci erant oculi, cum animus alias res ageret, & videre illa recusaret, quæ posita in medio erant. Hinc abdicati spretique à numine sunt, atque *etiam nunc hodie*

hodie lentem edunt, & amissam deflent primogenituram. Delictum eorum *in durissimo adamante* scriptum esse, Ieremias vates ait. Neque sanè pœnam ipsi suam deprecati sunt, cum illud dicerent, *sanguis ejus super nos sit, & super filios nostros.* Admodum notabile est illud, quod Romanis prodidit Divus Paulus in ea epistola, quæ scripta ad illos est. Ibi [1] sic infit: *nolo vos ignorare hoc mysterium, obdurationem, quæ est ex parte, evenisse Israëli tantisper, dum plenitudo gentium introierit.* Profecto aderit tempus, cum Iudæi in rectam semitam reducentur, qui nunc errant misere ignorantiâ viæ. Nondum omnium dierum soles occiderunt. Fulgebit illis quoque iterum sua lux. Cecidisse eos, non excidisse, certum est. Publicavit de eadem re etiam Ezechiel quædam oracula, quæ extant in cap. xxxvi. Ait enim futurum vates, uti cœlitus cor novum illis detur, rectioresque sensus in eorum pectore habitent. Tunc tolletur velamen illud, quod vultui suo Moses imposuerat. convertent enim se ad Deum, qui vivere eos in tenebris & summarum rerum inscitia sivit, uti tandem aliquan-

[1] In epist. ad Roman. cap. 11. v. 25.

do occasione uteretur notæ clementiæ. Atque in hunc quidem modum nos commodè interpretamur Divi Pauli verba, [1] ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ Ἰσραὴλ πρὸς κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα [2]. qui locus multis obscurissimus visus est, & quorundam exercuit industriam. Res hæc, de qua loquimur, magna est, & planè ejusmodi, uti meritò non possimus in posterum Iudæos, velut victimas publici odii, penitus aversari, cum adhuc illis tantarum rerum superstit spes. Et profectò D. Paulus veneratur eos, & laudibus magnifice effert etiam sic errantes. Ait enim, *Quorum est adoptio & gloria, & fœdera, & legis constitutio, & cultus divinus, & promissiones: quorum sunt patres, & ex quibus Christus est, quod ad carnem attinet.* Quæ poterat esse major nobilitas? Tot patriarchas, vatesque, & reges in avis proavisque numerant, denique tot excelsos & divinâ virtute viros, quorum sunt nomina cœlo consecrata. Sunt quidem, fateor, hodie vernili atque illiberali ingenio cun-

[1] Locus extat in 2. epist. ad Cor. cap. 3. vers. 16. [2] Id est, *cum autem ad dominum se verterit Israël, auferetur velamen.*

cuncti Iudæi; neque, si vitam eorum aut studia intueâre, quicquam magnopere reperias, quod sit magnis atque erectis animis dignum: sed nos ejus rei causam non miramur. habent enim hæc quoque quendam velut orbem: ut, quemadmodum temporum vices, ita & morum vertantur. Profectò, qui dies illis candidam libertatis lucem abstulit, imperiumque de eorum excussit manibus, idem ille ingenuos quoque spiritus eorum perdomuit, nihil ut amplius habeant nunc vividi vigoris. Apud Homer. optimus Eumæus regi suo Vlyssi illud divinè ait,

ἥμισυ τῆς ἀρετῆς ἀποαίνυ(ται) εὐρύοπα ζεὺς
ἀνέρος, εὖτ' ἂν μιν κτ(ὴ) δούλιον ἦμαρ ἕλῃσι.

Quemadmodum arculæ, in quibus nani fasciis constricti à mangonibus aluntur, corpusculorum incrementa non prohibent modò, sed minuunt quoque, atque contrahunt: ita quælibet servitus compedes quasdam etiam ipsis animis injicit, & generosam suffocat indolem. Quid possunt sublime spirare, qui per tot annos, per totum orbem tantis fatigati contumeliis sunt? quos pueri jam olim laciniâ, viri barbâ traxêre? denique in quos om-

nium Cæsarum detumuit furor? Tiberius juventutem eorum per speciem sacramenti, in provincias gravioris cœli distribuit. Erat insigniter pestilens Sardinia. In hanc missa quatuor millia sunt, uti malè interirent. Haud multo pauciores Titus bestiis objecit, cum Beryti, atque Cæsareæ spectacula ederet. Ipse Trajanus, qui omnium fuit *principum* leniſſimus, decrevit ne *legé* legerent. quod ab aliis quoque imperatoribus crebro factum postea est. Ea fuit maxima afflictio, & à Rabbi Zacuth inter שמדות *persecutiones* numeratur, cum ait, גזרו שמד שלא יקראו בתורה *decreverunt persecutionem, ne Iudæi legem lectitarent.* Sed hæc à paganis facta sunt. Nos, qui arctiore vinculo cum illis sociamur, amemus inter nos, & hoc habeamus commune, quod jussa audimus ejusdem numinis. Divus quidem Paulus pro illis caput suum devovere cupit. adeò impense amat gentem. Etiam illud ait, *si primitiæ sunt sanctæ, sancta etiam est massa: &, si radix sancta est, etiam sunt rami.* Non ego nunc ambitiose eorum laudes celebrabo. quippe à nulla re magis, quàm ab ineptiis, abhorremus. Sed tamen ad hæc sera tempora quod attinet, sanè, si benè rationem putamus, haud exiguum est, quod

quod illi genti nostra debet religio. Quinam sunt enim illi, qui nobis Biblica volumina sarta tecta servavêre, nisi Iudæi? Quot menda scriptionis in sacrum codicem inrepsissent, si illius custodia solis Lactantiis, Augustinis, Gregoriis, Chrysostomis, viris sanctissimis, sed imperitis Hebraismi, mandata fuisset? Inter Græcos omnes Latinosque, qui veterem Ecclesiam rexêre, unus Origenes cum Hieronymo Hebraicè scivit. & ferme nimium dixi. cæteri nec elementa quidem didicerant. Quare, si quid collapsum incuriâ librariorum esset, non tali auxilio, nec defensoribus istis tempora tunc egebant. At Iudæis unum studium, unaque omnibus cura fuit, libros Mosis, vatumque, & ea quæ Hagiographa appellantur, à temporum injuriis vindicare. Hæc laus eorum propria est. Nulla alia gens in illius gloriæ societatem se offert. In libro Iuchasin, quem scripsit Rabbi Abraham Salmanticensis, admodum illustris est locus, ex quo discimus, omnia Biblica exemplaria fuisse emendata ad quendam venerandæ antiquitatis codicem, quem sua manu olim conscripserat Rabbi Hillel, summus Iudæorum præsul, qui Babylone in Syriam venerat sexaginta an-

nis antequam Deus dominusque noſter Chriſtus naſceretur. Verba ejus digniſſima ſunt, quæ hîc recitentur,
במלכות ליאון הוציאו ספר הארבעה ועשריו
אשר נקרא הביבליא שכתב אותם ר' הלל
ומשם היו מגיהים כל הספרים ואני ראיתי
חלק מהם שנמכרו באפריקא ובזמני היה
בן מאות שנה שנכתבו והקמחי אמר בחלק
הרקרוק בפסוק למען תזכרו שהחומש היה
בטולטולא *In regno Leon eruerunt librum Arba Veeſrim, qui vocatur Biblia, quem exaravit Rabbi Hillel. atque ex ejus fide emendarunt omnia exemplaria. cæterum ego vidi partem ejus, quæ venalis erat in Africa, eratque tunc meo ævo ante* DCCCC *annos ſcriptus. Ait Kimchi in ſua Grammatica in Paſuk* למען תזכרו, *quod Tentateuchum fuit in urbe Toleta.* Erat igitur illa tempeſtate penes Iudæos arbitrium & vis ac norma emendandi Biblicum contextum. Profectò, quàm facile illis fuiſſet, interpolare ea loca, quæ redarguere eorum deliria videbantur, cum vix tria verba Hebraicè intelligerent Chriſtiani? ſed obſtabat pietas, vetabatque moveri, quæ ſacra eſſent. Et tamen fuêre, qui exiſtimarent, malâ fide eos deſcripſiſſe multa. quibus hominibus luculenter reſpondit Origenes in octavo volumine explanationum Eſaiæ. Equidem ego, quoties Maſoritarum indefeſſam diligentiam

tiam consîdero, pene obstupesco. Omneis enim Hebræi codicis parteis accuratè recognitas & collatas, notis quibusdam impressis obsignaverunt. Id factum est post templi secundi excidium anno plus minus quadringentesimo tricesimo & sexto. Observatum ab illis est, non modò quot commata & verba, sed etiam quot literas continerent libri singuli. Quare, quod postea, cum summa barbaries orbi incubuisset, nullus apex de præstantissimo illo scripto perierit, illorum beneficium est. Non sine causa illud à Rabbinis est dictum, המסורה סיג לתורה, *Masora est velut paries & sepimentum legis.* Apud Rabbi Zacuth, quem jam modò testem laudavi, sunt ineptiæ Iudaicæ, quibus (si Deo placet) colligitur, accentus atque puncta tempore Ezræ extitisse. Quod ideo retuli, uti hoc quoque adjicerent ad reliqua sua nugacissima argumenta ii homines, qui hodie negant esse hoc Masoritarum inventum. Sed moneamus illud quoque, in ejusdem Rabbini libro, eâdem probatione ad Ezræ seculum referri Targum Onkelos. quod etsi futile est, & facile ostendit, quanti sit prior conjectura, reperiet tamen defensores suos, vel ob hanc saltem causam, ne alterum illud

cadat. Agit jam pridem multos tam pervicax ſtudium, uti, dum ad ſententiæ ſuæ præſidium arripiant aliquid, quo modo aut quid arripiant, ſua intereſſe haud putent. Nos, quod ſacræ ſcripturæ lectio in incerto non ſit, & mutari jam haud amplius poſſit, illis Iudæis acceptum ferimus, qui ſerò & poſt templi ſecundi excidium *vixêre*. Etenim, cum jam rebus magnis opulentiſque excidiſſent, cura illis eſſe cœpit, uti in ſumma calamitate hanc ſaltem ex naufragio reſervarent tabulam cujus eſſet pretium inæſtimabile. Atque hoc profecto unum in illis amamus. Cætera miſerationem merentur. Apices enim, literaſque, & libros verſant, ſed verſant tantùm. Sacros veroſque ſenſus nec inſpiciunt, nec quærunt. Itaque quadrat hoc in illos, quod ipſi vernacula lingua ſua ajunt, עשו העיקר טפל והטפל עיקר *Quod fundamentum rei eſt, acceſſionem faciunt: quod acceſſio eſt, fundamentum.* Atque hoc eſt peſſimum. infantiam ipſi ſuam inſcitiamque non ſentiunt. Etenim, cum infelicitas eorum omnis poſita in divinæ legis ignoratione ſit, illi amiſſas patrias ſedes, ereptumque regnum, & alia hujuſmodi cauſantur, quorum neque poſſeſſio quenquam beatum, &

vere

verè miserum neminem jactura facit. Harpasten, uxoris fatuam, Seneca memorat, quæ subitò desiit videre. *nesciebat esse se cæcam, & subinde pædagogum suum rogabat, uti migraret. ajebat domum suam tenebrosam esse.* Idem illis quoque accidit. Circumferunt ipsi in pectore mali sui causam. Quod si quis numinis favor illos Cananææ redderet, cœlum utique, non animum, mutarent. Comitatur eos, quocunque se verterint, sua nox, neque prius demetur, quàm vecordiæ suæ, obstinationisque, dederint graveis pœnas.

PETRI CVNÆI De Republica HEBRÆORUM,

LIBER SECVNDUS.

CAPVT I.

Familia Pontificalis. De Alcimo malè existimatum. Pontificis constitutio penes quos. Chalcidensium regi quid beneficii à Claudio datum. Pontificis munia. Quando nobile officium suum Pontifex obierit. Quem habitum tunc gesserit. Flavii Iosephi error, ex properantia natus, qui omnes hactenus decepit. Ejus confutatio. Maimonidæ recta sententia.

PRoximus regiæ dignitati honos in summis sacerdotibus fulsit: estque Rabbinorum vetus verbum, tribus rebus Israëlem, tanquam coronis, fuisse decoratum, regno, pontificatu, atque lege. Nos, quoniam de regibus ea, quæ in mentem incidebant, diximus, cætera eodem pacto, hoc est, incuriose, & sine delectu exequemur. Cum sacerdotales familiæ olim

olim à Moſe duodecim, mox autem à Davide eſſent viginti & quatuor conſtitutæ, una modò pontificalis fuit, cujus erat præ cæteris excellens nobilitas. Apud Flavium Onias, Oniæ tertii filius, pontificali genere juvenis, per indignationem in Ægyptum aufugit, uti templum illîc conderet, propterea quòd pontificatum libidine Antiochi transferri ad Alcimum videbat, hominem ſacerdotali quidem familiâ ortum, ſed non ex ſucceſſione pontificatus. Hallucinatur enim eruditiſſimus Sigonius, qui [1] eum ex poſteris Levi, ſed non Eleazari, aut Ithamari, fuiſſe prodidit. Eſtque is error manifeſtus ex Flavii verbis, quæ de hoc Alcimo extant in Antiquitatum libro viceſimo, in capite octavo. Poſt Alcimum etiam Iudas Maccabæus pontificatum, extraneus alienuſque, nullo ſucceſſionis jure accepit, etſi ſanè de gente ſacerdotum fuit. ut jam conſtet, ad hanc dignationem non omnes Aronis nepotes, ſed duntaxat paucos quoſdam pervenire per legitimos tramites potuiſſe. Pontifex is fuit, qui omnibus præfectus erat ſacerdotibus. eamque dignitatem illi univerſus conſeſſus ſeptua-

[1] *In lib. 5. cap. 2.*

tuaginta senum conferebat, in quorum judicio atque potestate totum hoc, quantumcunque erat, positum fuit. Ita enim traditum rectissimè à Maimonide est, in Halacha Cele Hammikdasch, in capite quarto. Sed Herodes, cum pauca ex honesto & bono, pleraque autem contra leges & mores majorum gereret, creare pontifices, amovereque, uti erat libitum, instituit. Ac tandem electio summi sacerdotis concessa Agrippæ Herodi Chalcidensium regi à Claudio est. idque jus retentum successoribus ejus fuit, usque ad extrema belli Iudaici. Ac sacerdotum quidem cæterorum divisa functio erat, nemo ut adolere aris honores, vel victimas cædere, nisi factâ sortitione, posset. Soli autem pontifici omnia sacra, & omni tempore, obire jus fasque fuit [1]. Non enim in ordinem cogebatur, neque vices stationesve observabat. Munus pontificis nobile atque primarium fuit, templi adyta intrare, quæ Sancta Sanctorum Hebræi appellitant. idque semel in anno, non amplius, fiebat, solenni expiationum die, atque eâ horâ tantùm, quæ dicata

[1] *R. Maimon. in cap. 5. Hal. Cele Hammikdasch.*

dicata piaculari sacro erat. Sed de eâ re mox plura dicendi locus erit. Quali habitu pontifex fuerit, cum venerabile illud loci secretum celeberrimo die adiret, hactenus disceptatum à nemine est. Magnâ enim securitate crediderunt omnes, indutum eum illo tempore fuisse duobus amiculis illis, quorum unum fuit Humerale & Ephod appellatum, alterum verò dicebatur Coschen sive Rationale, propterea quod cordis rationisque sedem, hoc est, ipsum pectus, cingeret. Non nos hîc de artificiosissimo opere utriusque vestimenti disseremus. Ex auro enim, & purpura, coccoque, atque gemmis confectum fuisse, certum est, plane in eum modum, uti edicitur in Exodi capite vicesimo & octavo. Sed illud jam dicimus, nunquam iis amiculis usum fuisse pontificem in templi adytis. Quare convellenda nobis opinio est, quæ jam pridem summis nixa autoribus, nunc & omnium est, & quotidie crescit. Atque utinam saltem à Iosepho nobis recedendum non esset, quem virum genere ortum sacerdotali, summisque honoribus in urbe Hierosolyma perfunctum, ea transmisisse ad memoriam posterorum scimus, quæ viderat oculis suis, & comperta habe-

bat

bat. Sed quis tam consummatæ diligentiæ est, cui non somnus interdum in longâ commentatione obrepat? aut quid non potest festinatio & incogitantia, quæ in rebus etiam obviis improvida est & cæca? Igitur non possumus illud ferre, quod in capite decimo & quinto libri quinti ἀλώσεως ait de veste Ephod, deq; amiculo Coschen. τοῦτον τὸν ἐσθῆτα ὁ ἀρχιερεὺς τῶν ἄλλον χρόνον, λιτωτέραν δ' ἀναλαμβανεν, ὁπότε δ' εἰσίοι εἰς τὸ ἄδυτον. εἰσήει δ' ἅπαξ καθ' ἑνιαυτὸν μόνον ἐν ἡ νηστεύειν ἐθος ἡμέρα πάντας τῷ θεῷ. *Hunc vestitum pontifex non quolibet alio tempore habebat, (viliorem quippe sumpsit) sed tunc, cum intrabat in adytum. intrabat autem semel duntaxat quotannis, illo die, cum mos patrius omnes jejunio colere Deum jussit.* Contra hæc nemo hiscere ausus est. tanto consensu accepta ab omnibus sunt. Sed enimvero meminisse debebat scriptor maximus, id quod in vetustissimis Iudæorum scitis est, fuisse vestimenta quatuor peculiaria, eaque alba, & ex lino tantùm contexta, quibus solis usus pontifex est, cum piaculare sacrum in adytis, semel in anno, faceret. Ex quo accidit ut proprio nomine בגדי לבן, *vestes laban*, id est, *albæ*, à Iudæis dicerentur.

rentur. de quibus ita infit Maimonides in capite octavo, in Halacha Cele Hammikdaſch, ex tractatu Talmudico, qui Maſſachta Ioma vocatur, בגדי לבן הם ארבעה כלים ששמש בהן כהן גדול ביום הכפורים וארבעתן לבנים ומן הפשתן לבדו הן: כתנת ומכנסים ואבנט ומצנפת: *Veſtes laban fuere indumenta quatuor, quibus indutus pontifex ſacra faciebat, die jejunii. Erant autem ea albi coloris, atque ex lino tantum: nimirum tunica, brachæ, cingulum, & infula.* Dies jejunii, eſt dies decimus menſis Tiſri, cum in Sancta Sanctorum pontifex ibat. Hæc primi Talmudiſtæ odorati ſunt, quibus nos ſine periculo hic fidem habemus. atque adeo miramur, qua oſcitantia neque Flavius Ioſephus, neque quiſquam alius animum adverterit ad luculenta verba, quæ in Leviticî capite decimo & ſexto extant; ex quibus hoc, quod diximus, evincitur. Non abs re erit locum eum deſcripſiſſe. Ita enim ibi præcipit Moſi Deus de jejunii & expiationum die: *Dic Aharoni, fratri tuo, ne quovis tempore ingrediatur in ſanctuarium intra velum, ut non moriatur. Cum his autem rebus ingrediatur in ſanctuarium, cum juvenco ſubrumo, qui ſit pro peccato, & cum ariete, qui ſit in holocauſtum. Tunicam lineam*

ſanctam

ſanctam induito; & brachæ lineæ ſunto ſuper carnem ejus; & baltheo linco accingitor; & infula linea tegitor. Eæ veſtes ſacræ ſunt. Mox in extremo capitis addit, *Expiationem ſacerdos faciet, & induet veſtes lineas, veſtes ſacras.* De cæteris amiculis, quæ extra templi adyta pontifex geſſit, non jam difficile eſt dicere. Ea Talmudici בגדי זהב *veſtimenta aurea* vocant, non hercle *quòd* intextum omnibus aurum eſſet, ſed quòd ornatiora eſſent. Fuêre autem hujus generis indumenta octo, è quibus quatuor quidem erant communia pontifici cũ cæteris ſacerdotibus, כתנת ומכנסים ואבנט ומגבעות, *tunica talaris, brachæ, baltheus, & infula:* quatuor autem propria pontificis erant, מעיל ואפור וחושן וציץ *pallium hyacinthinum* cum tintinnabulis & malis Punicis; item *amiculum humerale ſive Ephod*; tum *Pectorale* ſive *Coſchen*; & poſtremo *lamina* aurea, quæ infulæ apponebatur. Neque verò dicat aliquis, ex octo iſtis indumentis, priora quatuor videri eadem eſſe cum illis, quorum uſum antè diximus fuiſſe peculiarem in Sancto Sanctorum. Nam & ex pretioſiore lino erant, quæ pontifex extra adytum gerebat, & baltheus fuit opere Phrygiano. Quæ

mani-

manifestè cernet, qui contulerit quæ leguntur in Exodi capite vicesimo octavo, & quæ extant in Levitici capite decimo sexto. Nam etsi linea sunt, quæ describuntur utrobique, tamen בד vulgare *linum* est, cum שש *byssus* exquisitissimi generis sit. Sed nec illud repugnat opinioni nostræ, quod iu Exodi capite vicesimo octavo, versu xxix. & xxxv. jubetur Aharon cum veste Ephod, & amiculo Coschen, & cum tunica hyacinthina ingredi in sanctuarium. Sane enim pro vero constat, sanctuarii partes insigniores duas fuisse, quarum fuit una exterior, quæ Sanctum ubique dicitur, altera vero interior erat, quæ Sanctum Sanctorum in sacro codice, non semper quidem, sed plerumque tamen, appellatur. Hæc nescire, summæ imperitiæ foret. Porro de vestibus *laban*, seu albis, quod diximus pontificem eas gerere, nisi in adyto, non potuisse, usque adeo verum est, ut illo ipso die decimo mensis Tisri, cum ex more adytum ingrediebatur, ad ea tamen sacra peragenda, quæ etiam extra adytum tunc fiebant, induere בגדי זהב *vestes aureas* necesse habuerit. Atque hoc recte proditum in Talmud est, in Massechta Ioma, in capite tertio.

CAPVT II.

Pontificis sacra vestis modo à Romanis, modo à Iudæis asservata. De Pontificis galero. De sacerdotum pileis. Lapides Vrim & Tummim, in quibus vis oraculi fuit. Quando ii amissi sint. Cur alii facti, & adhibiti postea sint, cum eorum nulla vis amplius esset. Quis fuerit modus consulendi oraculũ Vrim & Tummim. Quibus de rebus responderit Pontifex.

QVam pulchro & admirando opere fuerint indumenta, quibus adornatus pontifex extra adytum erat, ex illo manifestum est, quod Flavius refert τὴν ἱερὴν ἐσθῆτα *sacram pontificis vestem* magna cura servatam in turri fortissima fuisse, quam in parte templi Septentrionali olim ab Hasmonæis conditam, Herodes tandem Antoniam de Marci Antonii nomine appellaverat. Vtique perglorioſum fuit illam vestem custodire. Quare eum honorem identidem Romani sibi vendicaverunt: ac rursus Iudæis eum, sed beneficii loco concessere. Diximus ex octo tegminibus, quæ aurea Talmudici vocant, quatuor fuisse, quæ communia Pontifici cum reliquis sacerdotibus erant. Inter illa galerus, seu infula fuit.

la fuit. Pontificibus enim, ſacerdotibuſque nudo capite ſacra curare fas non erat. quemadmodum nec flaminibus Romanorum id licuit. Pontificis galerum non penitus ſimilem fuiſſe ſacerdotum pileis, Iudæi tradunt. Maimonides faſcias quaſdam ait Pontificis capiti ita circumdatas fuiſſe, quemadmodum membrum contritum aut fractum obvolvitur; ſacerdotum autem pileos velut galeas fuiſſe. unde & מגבעות eos dici, quod inſtar collium exſurgerent. Ab hoc diſſentit Rabbi Abraham Ben David, cujus השגות *animadverſiones* extant in Maimoniden. Ait enim ille, pileos quidem ſacerdotales, quaſi galeas fuiſſe, at pontificum infulas longè altiores fuiſſe, faſciis in orbem ſic circumactis, ut ſunt hodie Arabum tiaræ. Hoc idem ait accuratiſſimus author Rabbi Ioſeph, cujus commentationes, quæ כתר משנה *corona Miſnæ* inſcribuntur, inæſtimabiles ſunt. Lapides Vrim & Tummim, qui veſtimento pontificis indebantur, abſconditos à Ioſia in templo priore fuiſſe, neque poſtea repertos in templo ſecundo eſſe, dictum à nobis ſupra eſt. Facti tamen alii lapides, & inditi in amiculum Choſchen ſunt, non quod jam eorum ope amplius oracula pon-

tifex ederet, sed ut consummatus earum rerum numerus esset, quas maximus Moses ad pontificem rite ornandum præscripserat. Nam si quid vel minimum forte deerat, utique pontifex מחוסר בגדים *defectus vestibus* dicebatur, & sacris operari non magis poterat, quam si de prophana plebe unus esset, quem talia conantem lex *divina* capitis damnat [1]. Sed quid *illud est*, cur nec consuleretur in templo secundo pontifex, nec responsa redderet? Disputarunt de ea re Iudæorum cordatissimi, & visum illis est, id adeo ex hac causa esse, quod spiritus sanctus numinisque præsentior vis illinc abscessisset. mentem autem humanam fati & futuræ sortis nesciam esse, nisi instinctus divinus afflatusque accesserit. Quo nihil existimari rectius potest. Refert hæc omnia Maimonides in Halacha Cele Hammikdasch, capite decimo: ubi morem etiam ediserit, quo oraculum illud consulebatur antea. Stabat enim pontifex, & vultum componebat arçam versus. erat autem à tergo, qui responsum petebat. is, cum sciſci-

[1] *Rabbi Maimon. in Hal. Beth Habbechira, cap. 4. & in Hal. Cele Hammikdasch, cap. 19.*

scisitatus de successu rei esset, quam apud animum suum proposuerat, ibi pontifex statim, spiritu cœlesti concitus, amiculum Coschen inspexit, atque ex literis mirâ vi illic protuberantibus, quid futurum esset, didicit, responditque. Ea consulendi ratio non privatis, aut de plebe hominibus, sed regibus duntaxat, summisque judicibus, aut iis, qui publicè missi à populo essent, usurpata fuit. Quoties enim res magna agebatur, itum illuc est. Privatorum negotia votis precibusque relicta sunt, ne oraculi sanctitas evilesceret.

Caput III.

Vestimenti laceratio quatenus Pontifici permissa. Item quatenus sacerdotibus. De Caipha. Lex conjugii alia pontifici, alia sacerdotibus posita. Matrimonium virginis, viduæ, vitiatæ, & per divortium dimissæ. Polygamia. Habitatio Pontificis. De Augusto Cæsare.

NVnc referamus alia quædam summi Pontificis jura. Inter quæ illud est, quod ei vestem lacerare in animi dolore fas haud fuit. Quod præceptum tamen Talmudici ad lacerationis modum restringunt, ut Pontifici disrumpere vestem quidem, sed infra

tantùm circum pedes licuerit; suprà verò,& ad sinum pectoris,vetitum sit. at cæteris sacerdotibus jus esse lacerandi à summâ parte deorsum ajunt. Ita diffinitum in fine ejus tractatus est, quem Massechta Horaioth appellant. Quæ si vera sunt, nullo necessario argumento colligitur, id quod interpretes volunt, Caipham contra *legem* feciſſe, cum ad Messiæ augustam vocem ipse togam sibi per impatientiam discinderet, uti proditum à Divo Matthæo est in capite vicesimo & sexto. Hæc ultrà exquirere, nostrum non est. Cum enim diligentissimè in his operam posuerimus, restabit, ut nobismet irascamur, qui pedibus simum scalpturimus, unde nullum granum eruitur. In Levitici capite vicesimo & primo edicitur pontifici maximo, uti virginem duntaxat in matrimonium petat. Quod profecto non sine mysterio est. Non enim sacerdotibus posita eadem lex fuit. quippe viduam illi uxorem rite duxerunt, dum modò ab iis abstinerent, quæ corpore quæstum faciebant, aut per divortium expulsæ à marito erant, quibusve oblatum vitium fuit. In Talmud, in Massechta Ioma, in capite primo, traditur, nefas Pontifici fuisse uxores duas simul in

matri-

matrimonio habere. quod si haberet, utique cum altera faciundum illi divortium fuisse ante diem decimum mensis Tisri. ni id feciſſet, obire eum piaculare sacrum solenni illo die in templi adytis nequiviſſe. Enimvero hoc singulare fuit. Nam cæteris hercle Iudæis plures uxores ducere per legem licuit. idque infra ostendemus, cum res ipsa feret. In Massechta Middoth scriptum extat, ædiculam fuisse Pontifici in templo extructam, in qua ille interdiu mansitavit ferme, eamque לשכת כהן גדול *conclave Pontificis* esse dictam. De domo vero, quæ extra sanctuarium illi erat, ita Maimonides tradit, debuisse eam Ierosolymæ, atque in ipsa urbe, non alibi, esse. At Romanorum legibus cautum fuit, uti Pontifex maximus in domo publica habitaret. Quare Octavius hercle, M. Lepido mortuo, cum tanti nominis honorem adeptus esset, & domum publicam accipere à senatu per modestiam recusaret, suarum ædium partem ipse publicam esse jussit, quo satis factum legi esset.

Caput IV.

Contra Divum Augustinum, atque contra Carolum Sigonium disceptatur de

Pontificis ingressu in Sancta Sanctorum. Locus in epistola ad Hebræos malè à Sigonio intellectus. Altare suffituum non fuisse in Sancto Sanctorum, contrà quàm Divus Augustinus sensit.

LIbet postliminio ad id redire, quod intermissum à nobis est. Diximus enim Pontificem in templi adyta introiisse solenni expiationum festo, quod die decimo mensis Tisri celebratum quotannis est. Ita Iudæi omnes, & qui Græcorum Latinorumque eruditissimi sunt, magno consensu tradidere. Neque nos profecto aliter statuimus. Non enim alio tempore, neque aliam ob causam visere ei secretissimum locum fas fuit. Et tamen in illa ipsa erudita antiquitate unus extitit Augustinus, summa sanctitate atque eruditione vir, cui ita visum est, pontificem quotidie Sancta Sanctorum ingressum esse, uti thura adoleret. quod autem semel duntaxat introivisse dicatur, id ad anniversariam expiationem retulit, quæ sanguine purificationis fiebat. Huic sententiæ Carolus Sigonius, cum applauderet, aliud insuper præsidium addidit, existimavitque, Pontificem quotidie quidem adyta esse ingressum, sed sacerdotum comita-

tu

tu ſtipatum; ſemel autem in anno ſolum, id eſt, ſine ſacerdotibus. Profectò non eſt committendum nobis, ut tam craſſum errorem non refelliſſe videamur. Ac Sigonius quidem, ut de illo prius dicamus, manifeſto ſophiſmate aut deludere nos voluit, aut hercle imprudenter deluſus ipſe eſt. Sine dubio enim verba Apoſtoli in animo habuit, quæ in epiſtola ad Hebræos extant in cap. IX. εἰς τὴν δευτέραν σκηνὴν ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ μόνος ὁ ἀρχιερεὺς εἰσήει οὐ χωρὶς αἵματος. *ſecundum tabernaculum ſemel quotannis ſolus pontifex ingreſſus eſt non ſine ſanguine.* Enimvero illa verba ſententiam ejuſmodi habent, Pontifici ſemel in anno duntaxat, & quidem ſoli, adyta introire fas fuiſſe. Sigonius autem in aliam mentem hæc diſtorſit, ſcilicet quaſi ſemel quidem quotannis ſolus, at quotidie cum aliis intraverit. Qua quidem interpretatione nihil excogitari futilius poteſt. Omitto Talmudicorum omnium Rabbinorumque graviſſima judicia, quæ ſemper apud omnes cordatos permagnum pondus habuere, quoties de patriis ritibus eorum, ceremoniiſque orta diſceptatio eſt. ex quorum ſenſu illud eſt, quod Maimonides ait in Halacha Beth Habbechira, in ca-

pite ſeptimo. בית קדש הקדשים מקודש
מבין ההיכל שאין נכנם לשם אלא כהן גדול
ביום הכפורים בשעת העבודה: *Sanctum Sanctorum eſt ſacratius reliqua parte templi, quia nemo illud adit, niſi Pontifex, die Expiationum, ipſa ſacrificii hora.* Nihil nunc opus eſt à Iudæis teſtimonium eblandiri tam manifeſtæ rei. Ajo nullum ſacri codicis locum eſſe, ex quo colligi probabiliter poſſit, quemquam hominem ritè illud loci arcanum adiiſſe, uno pontifice excepto. At ipſe pontifex quam ſæpe adyta intraverit, ex illo diſcimus, quod in Levitici capite decimo & ſexto ſcriptum eſt: *Dic Aharoni, ne quovis tempore ingrediatur in ſanctuarium, quod eſt intra velum ante operculum propitiatorium, quod eſt ſuper arcam, ut non moriatur. Nam in nube apparebo ſuper operculum illud. Sed cum his rebus ingrediatur Aharon in ſanctuarium, cum vitulo & ariete in holocauſtum. A cœtu autem Iſraelitarum accipiat duos hircos in peccatum, & arietem in holocauſtum. cumque obtulerit vitulum, & oraverit pro ſe, ac domo ſua, duos hircos conſtituat coram Domino, in oſtio tabernaculi teſtimonii, & mittat ſuper utrumque hircum ſortes, ſortem unam Domino, alteram capro emiſſario.* Ecce, ſanctuarium, quod intra velum eſſe

esse dicit, nihil aliud est, quàm Sanctum Sanctorum, ubi & arca fuit cum operculo propitiatorio. Quæ autem fieri illic præcipit summus Deus, omnia ejusmodi sunt, quæ duntaxat decimo die mensis Tisri agebantur, celebri expiationum festo. Ex quo consequitur, nunquam pontificem, nisi quo die ista fierent, adyta intravisse. Id enim plane edicitur. Quare facessat Sigonii hariolatio. non enim est pro indole tanti viri, quem alibi nos sæpe admirati sumus. Sane enim, quod sperare improbum erat, bene ille atque feliciter in summa Hebraismi ignoratione res Iudæorum composuit. Sed quid Augustino respondebimus, qui aram incensi fuisse in adytis existimat, ad quam pontifex thura adoleverit quotidie? Enimvero in Magno errore versatus homo sagacissimus est, neque subtile illud & peracre judicium suum hic adhibuit. Omninò enim locus ille, in quo erat altare incensi, separatus velo ab ipsis adytis fuit. Quare cum in Levitici capite XVI sanctuarium, quod intra velum est, appelletur ipsum adytum, contra de incensi & suffituum ara dicitur in Exodi capite triceſimo, fuisse eam ante velum illud: plane ut in medio oppansum velum inter adyta

ta aramque suffituum esset. Recitabimus verba ex capite tricesimo Exodi, ne lectorem suspensum teneamus. Ita enim ibi dicitur, *Fac aram incensi è lignis Schittim, atque eam auro obduc, pariterque latera ejus & cornua. Pone autem eam ante velum, quod ante arcam testimonii, atque ante operculum propitiatorium est, ut adoleat super illud Aharon suffitum aromatum unoquoque mane.* Profecto, nisi stupor aut pituita sensus nostros tardat, illud intelligimus, aram incensi ante velum, at velum ipsum ante arcam testimonii fuisse; ut aram incensi ab arca testimonii, atque ab operculo propitiatorio distinxerit veli interjectio. Equidem fateor in quadragesimo Exodi capite, versu sexto, edici, *ut ara incensi aurea coram arca testimonii collocetur*: sed, quod ibi de medio velo expressum non est, mox paucis interjectis additur, *aram auream in tentorio conventus ante velum esse positam.* Quare ista ratio hercle apud me nauci non est.

CAPVT V.

Philonis Iudæi quædam loca excussa, & explicata. Lapsus Philonis. item ejus, qui librum I. Maccabæorum scripsit. Post reditum Iudæorum ex Babylone,

legem

legem non planè ſervatam fuiſſe in templi ædificatione. Argumenta quædam diſſentientium rejecta. Quid Moſi præ Pontificibus conceſſum fuerit.

NImis indiligenter hic ſumus, qui Philonis Iudæi illuſtrem locum nondum produximus, qui, cum Sigonii oculos non fugerit, admonere illum poterat, quam ſit inconſulta Auguſtini hæſitatio. Ait ſcriptor graviſſimus in libro, qui περὶ θυόντων extat; Ὁ νόμος προστάξε δύο καθασκευασθῆναι βωμοὺς καὶ ταῖς ὕλαις, καὶ τοῖς τόποις, καὶ ταῖς χρείαις διαφέρουσας. ὁ μὲν γὰρ ἐκ λίθων λογάδων ἀτμήτων ἀνῳκοδόμηται, καὶ ἐν ὑπαίθρῳ παρὰ ταῖς θύραις τοῦ νεὼ προβάσεσιν ἵδρυται, καὶ χέρνης πρὸς χρείαν τῶν θυμάτων. ὁ δὲ χρυσοῦς μέν καθεσκεύασται, ἵδρυται δὲ ἐν ἀδύτῳ εἴσω τοῦ προτέρου καταπετάσματος, ὃς ὀδενὶ τῶν ἄλλων ἐξὸν ὁρατὸς ὅτι μὴ τοῖς ἀρχιερεῦσι τῶν ἱερέων· καὶ χέρνης πρὸς χρείαν τῶν θυμιαμάτων. *Lex duas poni aras juſſit, quæ materia, loco, atque uſu differrent. quippe una ex lapidibus ſelectis, ſed impolitis tamen, extructa eſt, atque ſub dio ſita eſt. prope templi veſtibulum, ejuſque uſus poſitus in victimarum immolatione eſt. altera vero aurea, intra primum velum, in loco in-*

inacceſso eſt, quam videre nemini mortalium licet, niſi ſacerdotibus, cum in caſto ſunt. facta autem eſt in uſum ſuffituum. Omnino ait, aram hanc intra primum velum fuiſſe, quod oppanſum Sancto erat; planè ut diverſum fuiſſe ab illo velum ſecundum ſignificet, quod Sanctum Sanctorum à Sancto ſeparabat. Vtique, quemadmodum Sanctum Sanctorum ſacerdotes non recepit, ſed Pontificem duntaxat: ita Sanctum, in quo ſuffimentorum ara erat, plebem arcebat, ſacerdotes autem ſolos una cum Pontifice admiſit. Apud Divum Lucam quidem Zacharias, qui ſacerdotis, non Pontificis erat dignitate præditus, ad hanc ipſam ſuffituum aram odoramenta flammis uſtulat. At de plebe ita ſcriptum extat, [1] πᾶν τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ ἦν προσδοκῶν ἔξω, τὴν ὥραν τοῦ θυμιάματος. *tota multitudo populi foris precabatur, tempore ſuffituum.* Et mox rurſum [2], ἦν ὁ λαὸς προσδοκῶν τὸν Ζαχαρίαν. καὶ ἐθαύμαζον ἐν τῷ χρονίζειν αὐτόν. *Exſpectabat Zachariam populus, miratuſque eſt eum diutius morari.* Quoniam jam citare Philonem teſtem cœpimus, libet alia quædam ex illius commentationibus

[1] *Luc. c. 1. verſ. 10.* [2] *Ibidem v. 21.*

bus adferre. Enimvero, qui in Sanctum, quod intra primum velum est, non introivisse nisi solos sacerdotes dixit, is alibi disertis verbis Sanctum Sanctorum, quod intra secundum velum est, non à sacerdotibus, sed à Pontifice adiri, & quidem semel duntaxat in anno, ait. Verba ejus de hac re in libro secundo περὶ μοναρχίας hæc extant, quæ itidem Sigonius, cum vidit, officere proposito suo non intellexit. ὁ νεὼς παντὸς λόγου κρείσσων, ὡς ἐκ τῶν περιφαινομένων ἐστὶ τεκμήρασθαι· τὰ γὰρ ἐντὸς ἀόρατα παντί τῳ, πλὴν ἑνὶ τῷ ἀρχιερεῖ. *templum omni prædicatione est pulcrius, ut quidem ex iis, quæ apparent, colligi potest. nam quod ad ea pertinet, quæ in penetralibus sunt, ea nemini visuntur, nisi uni, hoc est, Pontifici maximo.* Nunquam Sigonius effugiet, ita manifestè tenetur. Addit illud ibidem Philo de Pontifice: καὶ τούτῳ μέντοι δι' ἔτους ἐπιτετραμμένον ἅπαξ εἰσιέναι πάντ' ἐστιν ὁρατά. *atque huic tamen omnia cernere licet, cum quotannis & semel duntaxat intrare fas sit.* Oratio medius fidius languida & elumbis, quæ corrigere aliquid velle eorum, quæ dicta sunt, videtur, cum nihil minus efficit. Quid enim diversum hic, aut contrarium supra dictis est? Non

magnus

magnus labor est, sententiæ vim suam reddere, atque ita locum constituere, καὶ τούτῳ μέντοι δι' ἔτους ἐπιτετραμμένον ἅπαξ εἰσιέναι, πάντ' οὐκ ἔστιν ὁρατά. Sanè hoc longe aliud est. Postquam enim dixerat, pontificem unum solumque adyta templi videre, mox revocans ipse se, *Atqui huic ipsi*, inquit, *cum quotannis duntaxat semel intrare fas sit, non tamen omnia cernere licet.* Dehinc ejus rei ratio sequitur, quæ sane notabilis est; πυρεῖον μὲν γὰρ ἀνθράκων πλῆρες καὶ θυμιάματος εἰσκομίζει. πολλῆς δ' ἀναδιδομένης, ὡς εἰκὸς, ἀτμίδος, κατέχεται τὰ ἐν κύκλῳ πάντα· καὶ ἡ ὄψις ἐπισκιάζεται, καὶ ἀνακοπὴν ἴσχει, πρόσω χωρεῖν ἀδυνατοῦσα. *Etenim thuribulum ignitis carbonibus & odoramentis plenum illuc infert. omnia autem circumcirca tenentur multo fumo, qui, ut consentaneum est, excitatur. tum vero & visus quoque obtenebratur, inhibeturque, neque longius sese ferre quit.* Hoc igitur illud est, quare Pontificis ipsius oculis non omnia lustrari posse ait, quæ in adytis sunt. Atque hactenus luculenter ista Philo, atque etiam divine. Quanquam illud non sine errore dixit, quod antea ex libro ejus περὶ θυόντων recitavimus, aram alteram, quæ prope vestibulum templi sub dio

posita

posita sanguinem victimasque accepit, constructam *lapidibus integris, impolitisque* fuisse, *ex legis edicto*. Contra enim, lignea ut sit, atque ære obducatur, numinis placitum est in Exodi capite xxvii. quod & Moses exequitur mox in capite xxxviii. & diu post maximus rex Salomo, cum templum conderet, non neglexit, ut est in libro ii. Chronicorum, capite iv. & in libro i Regum, cap. viii, vers. lxiv. Quod vero de ara ex cespite aut saxis faciunda edicitur in Exodi capite xx, id ad ea tempora pertinet, cum populus sacer, per vasta terrarum spatia & hostili solo circumerrans, sedem religionibus stabilem, & domicilium certum non haberet. Scio ego, qua tempestate templum secundum stetit, aram hanc quoque ex lapidibus fuisse. sed quam multa id genus alia enumerare possum, in quibus servata tunc veterum legum præscriptio non est? Sanè atroci & formidoloso reipublicæ tempore, cum incerta sæpe omnia metu hostium, & dissensionibus civicis essent, in ædificanda æde secuti duntaxat legem aliquatenus sunt homines sanctissimi. Nam quod in primo libro Maccabæorum, in cap. iv. dicitur, *Acceptis lapidibus integris secundum legem,*

ædificatum esse altare novum ad formam ejus, quod fuerat prius: oppidò leve est. Nos enim eum authorem, quisquis fuit, non magis veremur erroris reum facere, quam Philonem Iudæum. Vterque verbis illis deceptus est, quæ in Exodi capite xx extare diximus. Sed in hæc divertere, nihil necesse erat. De ara suffituum agere desinemus, *si id* dixerimus, in quo maximum momentum est. Iubet in Exodi capite xxx immortalis Deus cornua hujus aræ semel quotannis vituli sanguine rigari, illo die, qui constitutus jejuniis & expiationi erat. Sed eum sanguinem prius in Sancta Sanctorum inferri, ac mox exire illinc Pontificem, & conspergere aræ cornua necesse fuit. Ita enim sancitum in Levitici decimo & sexto capite est. Quare jam rem confecimus, nihil ut opus argumentis amplius sit. Etenim profecto, si exire ex adytis Pontifex ad riganda aræ cornua debuit, aram eam in adytis non fuisse certum est. Hæc contra Divum Augustinum, &, qui assensit illi, Carolum Sigonium, excutienda erant, ut illud omnibus persuasum esset, quod Hebræi veteres, Græcorumque & Latinorum cordatissimi prodidere, Pontificem semel duntaxat quotannis secretum

cretum sanctissimi loci adiisse. Ajunt quidem Talmudici, id quod supra retulimus, Pontificem, cum oraculum ex gemmis Vrim & Tummim peteret, facie ad arcam obversa stetisse. sed id fieri in qualibet templi parte potuit: ne jam forte credat quispiam, toties eum adyta intravisse. Atque hic est ille consulendi oraculi modus, de quo scriptum est in libro Iudicum, cap. 1, & capite xx. tum & in priore Samuelis commentario, in cap. x. De Mose aliter habendum est. quippe is ad arcam testimonii, prope ipsos Cherubinos, & ad operculum propitiatorium, verba voceſque commutavit cum numine. quod ex cap. xxv. Exodi, vers. xxii, atque ex Numer. cap. vii, vers. ult. neutiquam obscurum est. Verum quæ dementia esset, Aharoni cæterisque pontificibus transscribere, quæ uni Mosi contigêre? Sanè enim eum virum ex communi mortalium conditione Deus exemerat, postquam loqui coram, & una esse cum illo, atque ab illo aspici etiam dignatus est. Quæ omnia esse negata aliis, annotatum in sacro codice est. Sed jam non amplius verbum addimus. Qui enim pauca delibare de multis constitueramus, pene præ studio omnia exhausimus.

CAPVT VI.

Vicarius Pontificis sub decimum diem mensis Tisri constitutus. Quot gradus dignitatum inter pontificatum & sacerdotium interpositi fuerint. Iusjurandum solenne quotannis Pontifici delatum sub templo secundo. & causa ejus. Hæresis orta de suffitu in adytis adolendo. Hircus in desertum missus. Mons Hazazel. Iudæorum scita quædam super ea re.

QVoniam Pontificis nobile munus in iis esse rebus positum diximus, quæ die decimo mensis Tisri agebantur, idoneum visum est plura exequi quæ huc pertinent. Scribit Maimonides in Halacha Habodat Iom Haccippurim, in capite primo, solum Pontificem omnia sacra obiisse, quæ illo die fiebant, ne illis quidem exceptis, quæ propria illius festi non erant. quare illa quoq;, quæ quotidie sacerdotes etiam curabant, commissa tunc Pontifici fuisse. Ait præterea, quo tempore festum hoc instabat, septem continuos dies custoditum eum publice magna cura fuisse, ne qua res fortuita eum contaminaret, prohiberetque solenni sacro. Quæ traducta ex initio tractatus Talmudici sunt, quem Massechta Ioma

ma vocant. Tum & illud prodit ibidem maximus Rabbinus, quod relatu dignum est, de Pontificis vicario, qui quotannis creatus sub diem jejunii est:
מתקינין לו כהן גדול אחר שאם יארע בזה
פיסול יעבוד האחר תחתיו. בין שאירע בו
פיסול קודם תמיד של שחר בין שאירע בו
פיסול אחר שהקריב קרבוכת זה שנכנס
תהתיו אינו צריך חינוך עבר יום הכפורים
הרי הראשון חוזר לעבודתו והשני עובר.
ואם מת הראשון זה שני מתמני תחתיו:
Nos sententiam, non verba exprimemus. *Positum in more fuit*, inquit, *ut Pontifici constituerent quendam alterum Pontificem. Nam si quid ei contigisset, quo impuratus videretur, alter ille vice ejus rem sacram faciebat. Cæterum vicario huic, qui pro illo in adyta ibat, non opus initiatione fuit, sive contaminari Pontificem ante juge sacrificium matutinum, sive post oblationes peractas contigisset. Quàm primùm autem dies expiationum præteriisset, prior ille redibat ad munia sua: vicarius autem se abdicabat. Quod si prior moriebatur, alter ille in ejus locum substitutus est.* Non multum ab his abludit, quod traditum à Flavio est in libro decimo septimo Antiquitatum, in capite VIII. Is enim quendam Iosephum Ellemo prognatum refert, qui in unum diem functus pontificatu sit, cum summus sacerdotum Matthias

immundo visu persomnium se inquinasset, illa ipsa nocte, quæ expiationis festum anteceſſit. Hujusmodi vicarium Maimonides סגן appellat in Halacha Cele Hammikdasch, in capite IV, aitque sub imperio ejus cunctos sacerdotes esse. ex quibus tamen duo sunt, quos vicario eandem operam præstare ait, quam Pontifici ipse præstat, eosque קתיקולין appellat. ac rursus quendam ordinem illis inferiorem facit, in quem sacrificulos septem adscribit, qui אמרכלין dicti sunt, & claves atrii custodiebant, nemo eorum ut aperire illud posset, ni unà omnes adessent. Rursum his subesse tres גזברין, id est, thesaurarios, sive sacro ærario præfectos, ait. quos sequitur ראש המשמר, qui custodiis templi præest. tum is, qui ראש בית אב dicitur. ac tandem proximus ab his dignitatis locum tenere cæteram sacerdotum plebem ait. Hoc fermè pacto sacerdotum gradus distincti à Talmudicis sunt. nisi quod iidem inter Pontificem maximum, atque inter vicarium ejus constituunt quendam diversi generis sacerdotem, quem משוח מלחמה, hoc est, *prælii causa unctum* appellant. Sed de hoc infrà dicemus. Nunc de expiationum festo, quæ in promptu sunt, addamus. Apud

Mai-

Maimonidem [1], legati à senatu missi juramentum quotannis solenni more à Pontifice exigunt, pridie quàm peragendum piaculare sacrum erat. Id adeò fieri ex hac causa consuevit, quod sub templo secundo caput extulisset hæreticus quidam, à quo progata Sadducæorum secta est. Is odoramenta, queis suffumigandum adytum erat, imponi ignibus primùm, ac mox inferri in adytum voluit, quum Iudæis per manus traditum jam inde à Mosis ævo esset, accendi demũ ea in ipsis adytis oportere. idque profectò legis sententia etiam arguit in Levitici capite XVI. versu XII. & XIII. Sed novatorem illum ea verba movebant, quæ extant in ejusdem capitis initio: בענן אראה על הכפרת *in nube apparebo super propitiatorium*. Quæ certè adeò nullum præsidium ad ipsius causam adferunt, ut planè id stabiliant, quod in versu XII & XIII expressum esse diximus. Et tamen nihilominus crescebat quotidie tam improbabilis opinio, lateque animos hominum pervaserat. Quare, cum metus ingens esset, ne in illum errorem sese Pontifex quoq; transderet,

[1] *In cap. 1. Hal. Habodat Iom Haccippurim.*

institutum fuit, ut pridie decimum diem Tisri sollenniter eum legati jurejurando obstringerét. cujus formulam Maimonides in hæc verba conceptam refert, משביעין אנו עליך במי ששכן את שמו בבית הזה שלא תשנה דבר מכל דבר שאמרנו לך: *Nos te jurare jubemus per eum, cujus nomen in hac æde habitat, ne quid immutes eorum, quæ dixerimus tibi.* Dein cætera subjecêre, de quibus cautum esse intererat omnium. Ad celebritatem hujus festi maximè pertinuit religiosa sortitio illa, quâ ex duobus hircis unus destinatus aris fuit, alter verò in vicinum desertum ad montem quendam Hazazel dimittebatur, ut illinc præceps rueret. Tradunt Iudæi eum hircum magno molimine in desertum ab alienigena quopiam deductum, ac mox de summo monte detrusum ad ima esse. De tabernaculis quoque ab urbe Ierosolyma usque ad desertum dispositis, nescio quid, loquuntur, in queis consederunt, qui hircum identidem escâ reficerent. Tum & funiculum, cujus pars altera cornibus hirci, altera deligata ad scopulum fuit, atque etiam colorem funiculi, & id genus multa alia describunt, quæ profectò mecum ignorant. Quare nos hæc in medio relinquimus, propterea quòd

quòd rationibus conjecturisque melioribus destituta, vim haud capiunt ex ipsa frugalitate.

Caput. VII.

Initiatio Pontificis duplex, & qualis. Quando altera cessaverit. Quando Pontifex ab juvenci mactatione, quam lex præscripsit, immunis fuerit.

Consecratio Pontificis duas res præcipuè habuit, vestitum unctionemque. Sancitum enim à numine fuit, uti, qui summum sacerdotium gesturus esset, tunicis amiculisque sacris per septem dies indueretur, atque oleo lineretur, quod confectum ad eam rem ratione quadam singulari erat. Talem Pontificem Talmudici מתרבה בגדים *auctum inauguratumque amictu*, & מתרבה משחה *auctum atque initiatum unctione* dixêre. Ipse autem actus solennis dictus ab illis est ריבוי בגדים ומשחה *accessio majestatis ex amiculis & unctione*. Sed enimverò, postquam sacrum oleum periit, quod in priore templo conditum esse ab Iosia in speu quodam, & nunquam postea repertum ab Ezra aliisve in posteriore templo diximus, ab illa tempestate hercle Pontificum initiatio peracta si-

ne unctione est. Satis enim fuit, solo vestitu eos inaugurari. Vestiendi autem modus ejusmodi fuit, qualem Talmudici descripsere in tractatu, qui Massechta Ioma dicitur, in capite primo. Amicula octo erant, quibus Pontifex per dies septem continuos mane quidem induebatur, vesperi autem exuebatur; totidemque per dies fieri unctio solita fuit, antequam amissum sacrum oleum esset. In Massechta Horaiot, in capite ultimo, traditum est, nullam fuisse differentiam inter pontificem, cujus consecratio unctione fiebat, atque inter eum, qui solo amictu initiatus erat, nisi quod is, qui unctus esset, mactare numini juvencum lege jubebatur, si ita deliquisset, ut universius culpa peccatum ab omnibus esset. Hac necessitate solutus fuit, qui sine unguento erat vestibus inauguratus. cæteris autem rebus omnibus ambo pares fuêre. De juvenci mactatione quod observarunt Talmudici, erutum est ex Levitici capite IV. Summam verò eorum omnium, quæ ad initiationem pertinere diximus, complexus est illis verbis maximus Rabbinus Aegyptius in capite IV. in Halacha Cele Hammikdasch. ממנין כהן גדול הוא ראש לכל הכהנים ומושחין אותו בשמן המשחה ומלבישין

ומלבישין אותו בגדי כהונה גדולה ; ואם אין שם שמן המשחה מרבין אותו בגדי כהונה גדולה בלבר. כשם שמתרבה בשמן המשחה כך מתרבה בבגדים : כיצד מרבים אותו בבגדים. לובש שמנה בגדים ופושטן וחוזר ולובשן למחר שבעת ימים יום אחר יום וכשם שריבוי בגדים שבעה כך משיחה בשמן שבעה יום אחר יום: Sequitur dein illud, paucis interjectis, אין בין כהן משוח בשמן המשחה למרובה בגדיו אלא פר שמביא כהן המשוח אם שגג באהו מן המצוו שחייב עליהן חטאו Non libet nobis, hæc vertendo, tempus atque operam conterere, propterea quòd eorum sententia jam relata à nobis abunde suprà est.

Caput VIII.

Sacerdotum stationes, & ἐφημερίαι. Qui judicaverint de vitiis sacerdotum. Damnati sacerdotes qua conditione fuerint. Lignile. Antigoni in Hyrcanum facinus.

CVm hactenus de Pontifice maximo, qui sacerdotum princeps erat, dixerimus, plane fieri in tantâ rerum vicinitate nequiit, quin multa attingeremus quoque, quæ ad ipsos sacerdotes, atque ad munia eorum pertinent. Quæ profectò iterare nunc propositum nobis non est. Fuêre sacerdo-

tes

tes ex Levitis selecti, uti oblationes & sacrificia facerent. eorumque erant VIII stationes à Mose constitutæ: è quibus quatuor ab Eleazare, totidemque ab Ithamaro gentem suam deduxêre. Postea summus rex David stationes hujusmodi viginti & quatuor fecit, ut ex Eleazari posteritate sexdecim, ex Ithamari octo essent: quas omnes Flavius Iosephus incolumes *usque ad* Ierosolymæ eversionem fuisse prodit, nunquam ut permixta earum successio sit. Quod tamen verum est, si ab Encæniis Maccabæi per insequentia tempora retrò descenderis. Atque id profectò vel sic etiam incredibile ferme est in tanta rerum Iudaicarum sursum ac deorsum euntium mutatione. Sed penes autorem fides esto. Istæ viginti quatuor classes per vices suas singulæ Ierosolymam veniebant, & in templo hebdomadam unam sacris operabantur. Itaque post centesimum & sexagesimum octavum diem cuique stationi suus ordo rebibat: nisi quod per tria celeberrima festa, quæ Iudæi רגלים appellant, fas fuit omnibus stationibus simul in templo sacra obire, illâ præscriptione, ut votivas spontaneasque hostias, & jugia sacrificia ii duntaxat curarent, quorum functio

tunc

tunc in orbem recurrebat. Hæ ſunt ſtationes illæ, quas D. Lucas, de Zacharia cum loquitur, ἐφημερίας appellat. Quæ omnia divinè pertractavit vir illuſtris Ioſephus Scaliger in Iſagogicis Canonibus, quos in Euſebium publicavit. Itaque in his operam non ponemus. Multò enim ſatius nobis eſt illa exequi potiſſimum, quæ prætermiſſa ab aliis, aut certè tradita incurioſe ſunt. idque jam ſecuti ab initio ſumus. In tractatu Talmudico, quem Maſſechta Middoth appellant, traditum eſt, poteſtatem & juriſdictionem ſenatorum, qui adſcripti in magnum ſynedrium erant, ſitam præcipuè in hoc fuiſſe, quod in parte templi, quæ Gazith dicta eſt, judices de ſacerdotibus ſedebant, quibus familiæ & generis mota controverſia eſt. qui, ſiquidem causâ cecidiſſent, veſtibus induti nigris, atque exauctorati, cum ignominiâ ex atrio exceſsêre. ſin viciſſent, albati per hominum ora ſe extulerunt, atque è veſtigio munus ſacrum cum collegis adminiſtrarunt. In capite ſecundo ejuſdem tractatus Talmudici ſcriptum eſt, cognoviſſe etiam eoſdem ſenatores de vitiis, morbiſque, queis adfecti ſacerdotes, tanquam mali ominis res, ex legis edicto reprobabantur.

Ii damnati, deinceps in parte templi degebant, quæ לשכת העצים dicta est, quasi tu *lignile* appelles; atque illîc ligna findebant, quæ in altari struerentur. Etsi autem mulctati sacerdotio erant, tamen nihilominus illis jus fuit cum sacerdotibus ejus stationis, in quâ ipsi fuerant, adhuc de sacris epulari. Atque id proditum etiam à *Flavio Iosepho* est, in libro v ἁλώσεως, in capite xv. Porro, quæ ex Talmud [1] jam diximus, relata etiam à Maimonide sunt iis verbis, quæ subjecimus.

בית דין הגדול היו יושבין בלשכת הגזית
ועיקר מעשיהם התדיר שהיו יושבין ודנין
את הכהונה ובודקין הכהנים ביוחסין ובמומים:
כל כהן שנמצא פסול בייחוסו לובש שחורים
ומחעטף שחורים ויוצא מן העזרה: וכל מי
שנמצא שלם וכשר לובש לבנים ונכנם
ומשמש עם אחיו הכהנים: מי שנמצא
כשר בייחוסו ונמצא בו מום יושב בלשכת
העצים ומחלע עצים למערכה וחולק
בקרשים עם אנשי בית אב שלו ואוכל:

Horum sententia plana ex supradictis est, ut opus versione non sit. Neque verò sacerdotes solos, sed etiam pontifices corpore esse integerrimo lex jussit. Vtique apud Flavium Antigonus Hyrcanum captum utrisque auribus truncat. Ita provisum abunde fuit, ne fungi in

[1] *In Hal. Biath Hammikdasch. ca. 6.*

gi in posterum sacratissimo honore posset. atque id monere eum amici non destiterunt, cum ex Parthia Iudæam stolido consilio repetebat, ut illic Herodis ope pristinum teneret statum dignitatis. Res poscere videbatur, ut diceremus, quæ jura connubiorum posita sacerdotibus sint, deque sortitione, quæ singulis munia functionis suæ quotidie, vicesque assignabat: tum, quibus gradibus distincti fuerint, ut alii קחיקולין; pars אמרכלין, quidam גזבריין dicerentur, cæteri autem numerus & plebs essent. sed hæc, cum de Pontifice ageremus, indicata à nobis in transcursu sunt. Atque etiam illic de indumentis quatuor diximus, quæ communia illis cum Pontifice maximo erant. Propria enim non habuêre. Quare hæc omittimus.

Caput IX.

Sacerdotes Levitasque fuisse partem quandam magni concilii Sanhedrin. Negotia regia atque civilia publice Levitis commissa. Virtutum insignis imago in illis. Accessisse eos ad meliorem partem, atque ad æquiorem causam, cum scissa olim divisaq; Hebræorum respublica fuit. Quantopere degeneraverint mox à recta indole, atque

à veter-

à veteri integritate. Summum reipublicæ regimen occupatum ab illis, atque immodeste usurpatum.

AIt Maimonides in Halacha Sanhedrin, in capite primo, Levitas sacerdotesque in eum senatum lectos fuisse, qui Ierosolymæ supremus erat, & LXXI viris constabat, in quem adscripti etiam primores cæterorum Israëlitarum erant. Ex quo fit profectò ut non sacra duntaxat curasse, sed judicia exercuisse etiam civilia, & cum principe, aut summo populi ductore consultavisse de summâ republicâ quosdam Levitarum sacerdotumque appareat. Magnum enim senatum Sanhedrin rex indicebat, princepsve, aut quocunque alio nomine appellandus fuit, qui statum publicum tuebatur. Atque hoc est, quod inter Mosis instituta Flavius Iosephus posuit, πρασσέτω δὲ μηδὲν ὁ βασιλεὺς δίχα τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης. *Nihil agat rex, nisi de Pontificis & senatorum sententia.* Neque id nos miramur in illo regno, quod ipse Deus, ut sæpe diximus, sacerdotale appellat. Sanè in secundo Chronicorum libro, in capite XIX, Iosaphatus rex, cum Zebadiam iis negotiis præficit, quæ ad regem,

gem, atque ad populum Iudæ pertinebant, etiam satrapas Levitas ei adjungit, qui in partem curarum veniant. Et multò ante illum maximus David Hasabiam, ejusque agnatos mille & septingentos præesse Benjaminitis, & Simeonitis, Iudæisque, ac res gubernare tam divinas, quàm regias, jussit. Idemque imperium, ac planè geminam potestatem Ieriæ, agnatisque ejus bis mille & septingentis rex ille in Rubenitas, Gaditasque, & in dimidiam tribum Menassitarum dedit. cujus rei testimonium extat in primo Chronicorum libro, in capite xxvi. Atqui profectò Hasabia, & Ieria, & eorum agnati, quos Chronicorum author summos honores gessisse in republica, & fuisse ad quater mille & quadringentos ait, Levitæ erant, & nomen suum professi in ea tribu sunt, quæ sacrorum omnium custos fuit. Accedit, quod legum omnium, & rerum humanarum, divinarumque summam scientiam suo quodam sibi jure Levitæ vindicarunt, quam in synagogis per Iudææ oppida populo tradidêre: ut non immeritò omnis ingenii, eruditionisque, & bonarum artium patres atque autores habiti sint. Igitur ab his pietatis virtutisq; exempla petita sunt.

Etenim, cum pars ceremoniis sacrisque ministrarent, alii in disciplinas incumberent, plurimi muneribus officiisque civilibus intenti reipublicæ consulerent, omnes tamen sine cupiditate vitam agitabant. Dissensione verò tribuum ortâ, cum à Iudæis divortium cætera gens Israëlitarum fecisset, relictis urbibus, quas inter Israëlitas habebant, eam partem amplexi sunt, quæ patrio more integra & incorrupta religionum solennia tenuit. Sed, ut nihil perpetuum est, tandem post Babylonense exilium, cum extructum templum secundum esset, temporum iniquitas bellorumque æstus quadam fati lege causam deposuit ad aliud schema. Primò enim pontificatum maximum gerere ii ex Levitis ausi sunt, quibus per legem illud affectare non licuit. Ea quasi materies omnium malorum fuit. Fecit enim avidos nimia felicitas: nec tam temperatæ cupiditates fuêre, ut in eo, quod contigerat, desinerent. Gradus à magnis ad majora factus est, &, qui insperata acceperant, spe improbiore assecuti principatum sunt. Ac tandem verò, quasi actum adhuc nihil esset, regio nomine assumpto diadema capiti imposuêre. Hinc insidiæ inter eos, doli, arteſque patri-

patritiæ, & nulla modestia votorum. Ex qua enim tempestate sibi pulcrum duxerunt supra rempublicam stare, qua via illuc pervenirent, dum pervenirent modò, nihil pensi habebant. Ita, qui rarissimam laudem, & nulli adhuc ordini concessam concupiverant olim, innocentiam, postremò mutatis studiis omnia divina humanaque promiscua habuerunt, unius arrogantiæ superbiæque dominio. Sed de hoc etiam antè diximus.

Caput X.

Qui fuerint Anschæ Hammaamad. Quali legatione functi sint. Sacrificia pro populo peracta. Legatos hos etiam extra Ierosolymam munus suum in synagogis obiisse. De jejuniis eorum. Cur pridie & postridie Sabbati non jejunaverint.

IN Talmudis tractatu, qui Massechta Tahanajot dictus est, de iis agitur, qui à populo, aut ab universitate missi legationem publicam obibant sacrorum causa. Cujus rei observatio, quoniam sane singularis est, neutiquam silentio prætereunda nobis videtur. Enimverò illud sancitum lege erat, ut, qui numini victimam donumve offerret, sacris

præsens adstaret. Quoniam vero oblationes quædam etiam totius populi nomine fiebant, utique immensa illa civium multitudo, quæ locis urbibusque diversa habitabat, adesse ad sacram ædem nequiit. Igitur institutum à priscis vatibus est, uti ex Israëlitis quidam summa integritate & religione viri deligerentur, qui legati universitatis forent, & ad oblationes, vice *populi*, adessent. Atque hos Talmudici אנשי מעמד appellant, quasi crassiùs paulo *viros stationarios* dicas. Fuere autem classes eorum viginti quatuor descriptæ, planè ut de sacerdotibus quoque, deque Levitis diximus. ductabatque singulas anteceſſor quispiam, quem ראש המשמר *stationis principem* vocaverunt. Lex porrò posita legatis universitatis hæc fuit, ut qua septimana statio cujusque in orbem redibat, nemo quisquam tam solenne munus defugeret. Atque hercle eos quidem, qui Ieroſolymæ, aut in propinquo habitabant, convenire in templum necesse fuit unà cum Levitarum sacerdotumque geminis classibus, quarum vices in eam hebdomadam inciderant. Quod si verò procul aliqui à sanctissima urbe in remotis oppidis degebant, his adempta longi itineris molestia est. Satis enim erat

in

in synagogam istius loci convenisse eos una, atque animos cogitationesque ad ædem transmisisse, quæ Ierosolymæ erat. Ita publicam sacrorum causam absentes quidem, sed eadem hora tamen, atque etiam publicè, prosecuti sunt. Legatis his, dum hebdomadale munus peragebant, jejunandum quater fuit, & quidem certo tempore. Constitutus enim ad id dies Lunæ, Martisque, & Mercurii, ac Iovis est. Neque refert, Ierosolymæ in templo, an in oppidorum synagogis convenerint. Pariter enim jejunii necessitas eos tenuit. Datum tamen sabbatho id honoris est, ut pridie essent lege hac soluti. quemadmodum profectò nec postridie se macerabant, שלא יצאו מעונג שבת לצום: *ne sabbathi lætitiam mœror exciperet jejuniorum.* Ac de his quidem satis dictum est. Cætera, quæ de precibus legatorum universitatis, deque legis recitatione tradunt Talmudici, ab ipsis petantur.

Caput XI.

De Levitis illis, quorum ministerio sacerdotes utebantur. classes eorum, & diversa munia. Nethinæi. Lex annaria de Levitis latà quando cessaverit. Levitas non itidem, ut sacerdotes, repro-

batos fuisse. Quantum nefas fuerit, confundi eorum ministeria.

SEquitur ut præterea de Levitis quædam dicamus, quorum appellatio duplicem rationem habet. modò enim sic dicti communiter omnes ii sunt, qui de tribu Levitica essent, ad quos in universum ea pertinent, quæ *suprà* diximus in hujus libri capite IX. Interdum verò hoc nomine vocantur, qui in urbe Ierosolyma per vices sacrum ministerium subibant, quod erat longè à sacerdotum functionibus diversum. De qua re breviter dicendum nobis hîc est, ne eam partem non attigisse videamur. Igitur Levitarum horum munus fuit sacerdotibus ministrare, eaque obire, quæ ignobilioris operæ erant. Planè enim, quod Romanis inter sacra atque in templis victimarii, popæque, & æditui, ac præciæ, tibicinesque præstitêre, id Iudæorum mos, lexque Levitis demandaverat, non omnibus hercle, sed iis duntaxat, qui progenitore Levi sati, genus tamen suum ab Aharone non traxerunt. Etsi enim profectò Aharon quoque eodem satu editus fuit, tamen, quia in ejus familia & posteritate dignitas stetit sacerdotii, non ita frequenter in sa-

cro

ero codice Levitarum nomen datum nepotibus ejus est. Ac initio quidem, ex Mosis instituto, Levitæ sacerdotibus duntaxat operam navabant, arcamque humeris portabant, & vasa sacra curabant. Ejusque generis mox classes viginti & quatuor David fecit, quæ singulæ per vices suas hebdomadam unam in templo essent: planè quemadmodum etiam sacerdotum divisæ stationes erant. Cæterum idem ille rex David eadem lege totidem quoque familias alias instituit Levitarum, quorum pars voce, alii organis nabliisque inter sacra canerent. Ac rursum eodem auctore viginti & quatuor stationes ædituorum factæ sunt. Postremo, quemadmodum Levitæ sacerdotibus ministrabant, ita ipsis Levitis dati alii sunt, qui lignatum aquatumque mitterentur. Ii primum Gibeonitæ erant, quos maximus populi ductor Iosua in bello servaverat. mox Davidis Salomonisque tempore alii ex victis gentibus accessere, atque uno nomine omnes appellati Nethinæi sunt, quasi dedititios aut adscriptitios dixeris. Verum hæc Cornelius Bertramus, Carolusq; Sigonius, eruditissimis ambo commentationibus, tam diligenter persecuti sunt, nihil ut addi à

nobis possit. Quare alia quædam circumspiciamus. In tractatu Talmudico, quem Massechta Cholin appellant, in fine capitis primi, annotatum est, legem eam numinis, quæ Levitis quinquaginta annos natis missionem dat, haud perpetuam esse, sed eo tempore duntaxat valuisse, cum transferendum identidem sacrum tabernaculum esset. mox enim, cum religionum ceremoniarumque sedes stabilis in æde Hierosolymitana esset, nunquam eos solenni ministerio sese abdicavisse, qui quinquagenariis majores erant. In extremo ejusdem capitis traditum quoque est, non fuisse in Levitis id spectatum, an corpore integro essent. nullum enim vitium fuisse, quod sacro munere eos prohiberet. Quare profectò, quod de sacerdotibus, deque Pontifice diximus, ad hos non pertinet. Vocem tamen ibidem Talmudici excipiunt, quæ, grandi ætate cum deficeret, vitium in cantoribus fecit. Scribit Maimonides, crimen capitale fuisse, si Levita sacerdotis curas capesseret, aut ex ipsis Leviticis muniis aliquod ejusmodi obiret, quod assignatum illi non esset: puta, si ædituus cantoris vice fungeretur. quod si sacerdos Levitæ ministerium subiret, non illum capite

pœ-

pœnas luisse, sed tamen בלא תעשה *contra numinis interdictum* fecisse.

Caput XII.

Templum Ierosolymitanum, Cur intus illic tanta vis auri. De templis veterum, in quæ aurum non inferebatur. non esse id Iudæorum institutis contrarium. Confutatus quorundam error. Talmudicorum scitum de iis, qui sacram ædem adeunt. Quid sint τὰ σαθὰ in Messiæ edicto. Salomonis industria in templi extructione. Quam celeriter consummata ea operis moles. Dianæ Ephesiæ ædes quibus impensis & quam lente ædificata. cur in palustri solo ea posita. Iudæorum commentum de monte Moria.

Nihil rerum Iudaicarum pulcrius, magnificentiusque fuit, nec quod magis celebratum monumentis omnium sit, quàm illud immensæ opulentiæ templum, quod in urbe Ierosolymâ extructum, dedicatumque à Salomone est. Ejus descriptio luculenta apud Flavium Iosephum extat in octavo Antiquitatum libro. Quare nos, quæ de magnitudine, deque arte & modo operis dici possunt, non exequemur. Vtique, quod hujus ædis in-

terius sacrarium auro magni ponderis obductum erat, quodque vasa innumera ex puro puto auro conflata sunt, non regis effusa quædam liberalitas in summâ opum affluentiâ videri debet, sed justus edictumque numinis fuit. Non æstimat quidem donorum pretia, neque terrenis indiget opibus summus Deus, cujus est hoc omne, quod videmus, & non videmus: sed tamen grata illi mortalium pietas est, id offerentium quod amant ipsi vehementer, rerumque humanarum maximum putant. Ait Plutarchus in Politicis præceptis, templa quædam olim fuisse, in quæ ingredi nefas fuerit, nisi auro ante fores posito. Ex quo viri quidam incomparabiles collegerunt, antiquitatem, cujus judicium incorruptissimum fuit, delubra damnavisse, quæ donariis magnificis, & multo auro radiarent. In quo certè eos ratio fugit. neque id Plutarchus voluit, qui è vestigio ibidem illud addit, etiam ferrum eos deposuisse, ædem qui intrare vellent. & in promptu esse causa utriusque nobis videtur. nam & sine auro nummisque, aut ornatu operosiore adstare debuerunt, qui diis supplices in loco augustissimo erant: & rursum, magis sibi opem omnem esse

in

in numine positam intellexêre, qui ferro armisque se nudaverant. Ego verò Plutarchum, ista cum scriberet, cogitasse de veteri Ierosolymitana æde opinor. Penè enim eadem sunt, quæ traduntur in Talmudis tractatu, quem Massechta Ievamot appellant, in capite primo: ex quo ista transscripsit Maimonides, quæ in Halacha Beth Habbechira leguntur, in capite VII. לא יכנס אדם להר הבירה במקלו או במנעל שברגליו או באפונדתו ובמעות הצרורין לו בסדינו: *Nemo in montem templi veniat cum baculo, aut calceamentis pedum, neque cum manticâ aut pecuniis linteo involutis.* Apud Divum Marcum in Euangelii cap. XI, servator hominum Messias, cum reducere priscum ac fugitivum morem vult, edicit *ἵνα μή τις διενέγκῃ σκεῦος διὰ τοῦ ἱεροῦ, ne quis per templum eat vasis ullis, instrumentisve, aut impedimentis onustus.* Ita enim id, quod σκεῦος dicit, accipimus, ut ad loculos etiam, & ascoperas, atque ad ea omnia pertineat, quæ oneri exuberant. Certè ille idem Messias, cum propter excellentem seculi perversitatem vetus hoc institutum exolevisset, nummularios, atque eos, qui intenti distrahendis mercibus erant, procul à sacro limine abegit. Templi admiranda moles urbem

bem ex alto despectavit. Posita enim in montis crepidine fuit, cujus spatium rex Salomo ampliavit, aggesta in profundissimam vallem humo ad altitudinem quadringentorum circiter cubitorum. Consummata autem tanti operis constructio intra septem annos est. Quod pene incredibile dixeris. Sanè tardior in ædificando *Græcia* fuit, quæ Dianæ Ephesiæ *templum* ducentesimo & vicesimo anno vix absolverat, etsi adjuta totius Asiæ opibus est. sed cœpti difficultas ex natura loci fuit. quippe condi eam ædem in palustri solo placuit, ne terræmotibus quateretur. Vanissimum est, & exibilari debet, quod Rabbi Eliezer in capitulis suis ex communi Iudæorum opinione prodidit, montem, in quo ædes Ierosolymitana stetit, hunc ipsum esse, in quo primus hominum parens Adamus sacra fecit: atque ibidem mox Abelum, Cainumque munera sua numini obtulisse. rursus vero & Noachum illic altare posuisse, cum ex arca egrederetur: & Abramum cœlestibus monitis huc profectum fuisse, uti filium mactaret. Ejusdem generis est, quod in Bereschit Rabba, in Pasuk וייצר, & in Talmudis Hierosolymitani tractatu, qui נזיר inscriptus est, in capite

pite xxiii legitur, Adamum ex pulvere illius montis esse conditum, atque recte dictum à sapientibus veteri verbo esse, שנברא ממקום כפרתו *creationem ejus in illo loco contigisse, ubi peracta ejus expiatio est.* Nemo nostrum tam bardus est, qui hæc credat. Et tamen ipsis vetus commentum placet. Sed hæc deliria pluribus persequi, id vero nostrum non est.

Caput XIII.

Admiranda quædam de templo, deque sacrificiorum & sacerdotum multitudine. De festo Taschatis singulare quid, & penè supra fidem. Lignorum tres strues in altari. De æternis ignibus. Corban Hahitsin, oblatio lignorum, & dies festi ad hanc rem. Talmudicorum & Flavii Iosephi discrepantia. Superstitio eorum, qui intraverint templum, quique exiverint ex illo.

Difficile esset dicere, quot sacrificiorum oblationumque genera & causas Iudaica religio habuerit. Sanè, cum Flavius [1] dicat, in singulis classibus, quæ hebdomadam unam per vices in templo sacris operabantur, fuisse

[1] *In Apolog. adversus Apionem.*

se plus quàm quinque millia sacerdotum; omninò opus ingenti victimarum numero quotidie fuit, ne tot manus otiosæ essent. Notat idem scriptor [1] uno die Paschatis ducenties quinquagies quinquies millena & sexcena animalia immolata esse. Diximus autem, solenni Paschatis die, & præterea duobus aliis festis, omnes sacerdotum classes Ierosolymam venisse, & junctis operis sacra simul fecisse. ut jam necesse sit, eodem tempore, atque die uno, centum & viginti millia sacerdotum munus suum obiisse. Quod si jam è numero victimarum, quas cecidisse Flavius in illo festo prodit, mactatas à sacerdotibus singulis binas cogites, supersunt quindecies millenæ, & sexcenæ, quæ adhuc quærunt, cujus manu pereant. Porrò harum omniũ immolatio facta in uno altari est, in quo quotidie tres lignorum strues compositas fuisse, Rabbi Moses Aegyptius ait. de quibus singulatim illud prodit, in Halacha Temidin & Musaphin, in capite secundo: ראשונה מערכה גדולה שעליה מקריבין התמיד עם שאר הקרבנות: שנייה בצדה קטנה שממנה לוקחין אש במחתה להקטיר קטורת בכל יום: שלישית אין עליה כלום אלא לקיים מצוות האש שנאמר אש תמיד תוקד:

[1] Lib. 6. ἁλώσ. cap. 45.

תוקדי *Prima ſtrues*, inquit, *magna erat, in qua juge ſacrificium, cæteraque, quæ offerebantur, apponebant. Secunda, ad latus ejus, minor fuit: de qua ignem exceptabant acerra, ut ſuffimenta in altero altari adolerent, quod prope Sanctum Sanctorum erat poſitum. Tertia illud duntaxat habuit, quod ratam faceret legis divinæ præceptionem, quæ de igne extat ejuſmodi, Accendes ignem perpetuum.* Scribit Flavius in libro ſecundo ἁλώσεως, in capite triceſimo & primo, fuiſſe Ieroſolymæ diem feſtum quendam, quem τὸ ξυλοφόρια ipſe appellat propterea quod Iudæi tunc omnes ex ſylvis magnam lignorum vim in templum comportabant ad alendos ſacros ignes, quos eſſe æternos, & nunquam extingui lex divina juſſerat. Hic verò leviter à Flavio Talmudici diſcrepant. Ajunt enim, non id uno tempore factum ab omnibus ſimul eſſe, ſed familiis ſingulis ad hanc rem fuiſſe certos dies conſtitutos. quod nos ita accipimus, ut ſtatus quiſque dies plures familias, puta viginti aut triginta, hujus officii cauſa ſociaverit, non Iudæorum hercle per reliquam Palæſtinam habitantium, ſed Ieroſolymitanorum duntaxat. Addunt Talmudici, eas familias, queis lignationum vices in orbem redierant,

holo-

holocauſtum ſpontaneum obtuliſſe, quod קרבן העצים dictum fuit, quoniam ſuperadditum lignationi eſt. fas autem illis non fuiſſe, ea tempeſtate in luctu & ſqualore eſſe, aut jejunio ſe macerare. Talmudicorum ſententiam Maimonides illis verbis complexus eſt, in Halacha Cele Hammikdaſch, in capite ſexto: זמן קבוע היה למשפחות לצאת ליערים להביא עצים למערכי: ויום שיגיע לבני משפחה זו להביא העצים היו מקריבין עולות נדבה וזהו קרבן העצים והיה להם כמו יום טוב: Porrò, ut in animis major veneratio ineſſet ſacræ ædis, introductum illud non lege Moſaicâ, ſed vetuſtiſſimis Iudæorum inſtitutis eſt, ut quiſquis templum intrabat, greſſum ad dextram obverteret, ac ſic circumiret, câque viâ egrederetur, quæ ad ſiniſtram erat. Contra autem, qui in luctu fuêre, quive ejecti ex Iudæorum communione erant, eo ſubmotionis genere, quod נידוי appellatur, iis circuitio facienda à ſiniſtra dextrorſum fuit. Quin ipſi ſacerdotes, cum rem ſacram feciſſent, receſſim ad portam atrii cedebant, penè ut nepæ ſolent, ſed paululum tamen obliquato latere. Hæc, & id genus plura in libris Talmudicis traduntur, & referenda ad illud tempus ſunt, cum jam in animos homi-

hominum, res insana, superstitio invasisset.

Caput XIV.

Addita religionibus majestas. Talmudicorum sententia de muro, qui adyta separabat. & cur is in templo secundo non restitutus. De custodiis templi. An rectè eas Maimonides esse ex lege tradiderit? Morbi crebri sacerdotum unde fuerint?

Fvit illud à sapientissimo Salomone, non ab seris nepotibus ejus, institutum, ut discreta sacerdotum, Israelitarumque, & mulierum atria essent. Ita provisum rectè est, ne religionem commixtio fœdaret. Nam quod ipsis sacerdotibus non penetrare in templi intima licuit, sanè verò etiam id augendæ majestatis fuit, cujus major est ex occulto admiratio. Atque ante quidem, cum inter Sanctum & Sanctum Sanctorum murus quidam unius cubiti latitudine stetisset, pòst cum ædem secundam ii exstruerent, qui reversi Babylone erant, dubitatum est qua proportione, quove pacto spatium ejus muri immissum in Sancta, inque Sanctum Sanctorum fuisset: &, cum decidi ea res nequiret, vice muri duo

vela oppansa sunt, inter quæ spatium cubiti interfuit. nam antea hercle duntaxat unum pependerat. Traditum id à Rabbi Mose Ægyptio est, in capite IV, in Halacha Beth Habbechira. Atque ex eo constat, quam scrupulosa eorum hominum religio fuerit. Sed ejus rei etiam alia documenta sunt. Ait ille idem magnus Rabbinus, semper Levitarum sacerdotumque vicenas quaternas stationes excubias nocturnas in æde sacra, & circum illam iniisse, non quod ab hoste grassatoribusve metus fuerit, sed uti honos religionibus esset. Leges autem illis præscriptæ ejusmodi fuêre, ut sacerdotes intus, Levitæ foris custodirent; & illorum quidem tres, horum verò essent XXI stationes. Denique Levitæ totas noctes pervigilabant. at sacerdotibus somnum capere haud nefas fuit. Non culcitræ tamen, non tomenta mollem requiem illis fecerunt. dormiendum humi in solo erat; ut hoc illis commune fuerit cum Delphici Apollinis sacrificulis, qui à Callimacho perquàm eleganter dicti sunt γηλεχέες ἱερόποντες ἀσιγήτοιο λέβητος.

Nos hæc, quæ de custodiis diximus, sero admodum, & labante republica, esse

esse instituta putamus, quo tempore multa alia sunt inventa, quorum nec vestigium antea, nec vola extiterat. Nam quod summus Rabbinus Ægyptius testimonia quædam ex Pentateucho recitat, utique mendose facit. Quæ enim cunque in Numerorum capite secundo & tertio edicta sunt de castrorum metatione, quam circum tabernaculum fieri in deserto oportuit, ea verò ad urbem Ierosolymam traducere, ubi sacris ceremoniisque tuta sedes fuit, magna imprudentia est. Quid quod post Babylonienſe exilium quindecim munera in templo administrata sunt, de queis Iudæorum reges antea, qui de Davidis familia fuêre, nunquam cogitaverant? Ea memorantur in Talmudis tractatu, qui Massechta Schekalin dicitur, in capite v. interque hæc fuit, cura temporum solennium, aquarum, sortium, custodiarum, vestium, panum Propositionis, cortinarum, suffimenti conficiundi, & aliarum rerum, quas recensere pretium operæ non est. Fuit autem singulis præfectus quidam impositus, quem ממונה appellabant: eratque sub nutu ejus ingens ministrorum multitudo. Ait Maimonides multis morbis obnoxios sacerdotes fuisse,

propterea quòd carnibus fere vescebantur, & leviter vestiti inter rem divinam amiculis lineis erant, quæ exuere toties, & sumere necesse habuêre, quoties aut operationem intermittebant, aut redibant ad eam. tum & in pavimento stabant semper, neque sedere illis in toto atrio, in quo sacra fiebant, fas fuit. Hinc languor, venarumque inflatio, & mille mala. Haud illud inscitè dictum à Iuvenale est in causa plane simili,

---varicosus fiet aruspex.

Igitur delecti sunt, qui publice sacerdotum curarent valetudinem. quibus præerat is, quem משנה על החולים appellant. Sed de his hactenus. Cætera, quæ de templo præclare Talmudici tradiderunt, iis relinquimus, qui fortassis post nos aliquando hujus messis reliquias persequentur. Duntaxat enim aliorum excitare ingenia voluimus. Et jam illud à nobis, opinor, effectum est, omnes ut intelligant, permulta esse, quæ de rebus Iudaicis adhuc dici post eruditissimorum aliquot hominum commentationes possint.

CAPVT XV.

De Ieroſolymæ & templi excidio. Quid Romanos ad rem atrociſſimi exempli ſoli-

solicitaverit. Casus quidam admirabiles à Iudæis notati de excidio templi prioris & posterioris. Titi miseratio & lacrymæ. De tertio templo, quod adhuc exspectant Iudæi. Ælia Capitolina in ruinis Ierosolymæ condita, & additum à Cæsare Hadriano ludibrium.

IAm ad alia divertamus. Fuit ab omni ævo magnis quassata tempestatibus urbs Ierosolyma, in qua ædes sacra, & religionum domicilium erat. quippe Assyriorum primò, Babyloniorumque, mox Antiochi Epiphanis, aliorumque regum, ac postremo Romanorum quoque sensit arma. Capti cives, diruta mœnia, vasta omnia mœstaque fuere. Vetus templum incenderat Nabuchodonosor, instauraverat autem denuo Zorobabel. Sed deerant ad priscam altitudinem sexaginta cubita. Quare Herodes multò pòst, opibus & omni rerum copia affluens, reddidit illi eximium decus. Et jam erat hæc ædes inter orbis miracula. Nulla fuit tam sepositа aut barbara gens, ex qua spectator in Syriam non veniret. Sed fati ea lex est, nunquam datum ut sit rebus summis, stare diu. Decreverat tantarum rerum cumulum diruere Deus: &, quia vim suam

ingruentem frangi non volebat, passus est temeritate paucorum quorundam ad defectionem solicitari populum. Paruit ducibus suis imprudens multitudo, & reverentiam excussit Romani principis. Ita error in culpam transiit; & cum causa atque origo omnis furoris apud autores esset, pœna omnium fuit. Obsedit Hierosolymam vastavitque Titus, ac ne templo quidem pepercit, quod manserat antea tot cladibus incolume. Res admiranda est, & singularis quædam divini judicii nota id, quod Rabbini observaverunt, quibus studium est vetera & recentiora contendere, atque omnia scrutari subtilissime. Recitabo verba Hebræa ex Chronico, quod Seder Olam vocant: היה ר' יוסי אומר מגלגלין זכות ליום זכות וחובה ליום חובה שנמצאת אומר כשחרב הבית בראשונה אותו היום מוצאי שבת היה ומוצאי שביעי היתה ומשמרתו של יהויריב היתה ותשעה באב היה וכן שניה ובזה ובזה הלוים עומדים על דוכנן ואומרים שירה וישב עליהם את אונם: Eorum est talis sententia, sed paulò liberius à nobis reddita: *Rabbi Iose dixit: Quemadmodum meriti remuneratio, etiam post longum tempus, recidit ac revolvitur in eundem diem, ita & peccati. Atque id experimento compertum est.*

nam

nam cum antea vastaretur templum, erat extremum sabbati: & rursus extremum septimi anni erat. praterea erat septimana[1] *stationis Ioarib, & nonus dies mensis Ab erat. Et ita fuêre quoq; hæc omnia in secundo excidio. In utroq; autem Levitæ stabant in cathedra, recitabantque oden hanc: Retribuet illis iniquitatem suam.* Apud Iosephum accurata est excidii descriptio. Sanè ait ille tam tristem tunc rerum faciem fuisse, uti miseratus eam hostis quoque sit. etenim Titum, cum eversa omnia, dirutaque cerneret, ingemuisse cum dolore, & defectionis succensuisse autoribus, quorum execrando scelere acceleratum urbis fatum erat. nam illum, non nisi invitum, tam aspero remedio admovisse manum. Et sanè non erat illi viro animus ferox, insatiabile gentium malum. Deliciæ enim amorque non Romanorum, sed humani generis, dictus habituſque est. Verùm, quid ageret? Reipublicæ causâ adhibenda severitas fuit, & crudelem medicum intemperans æger fecit. Periit urbs, quam perire etiam pereuntium intererat. Iacebat dirutum, flammisque exustum

[1] *Ita appellat Iudæus magister* τὴν ἐφημερίαν, *sive* φυλακὴν.

templum, quod per XLVI annos vix extruxerant reversi exules: denique quod refecerat tandem, & ad invidiam ornaverat Herodes, nihil ut jam inimici in eo, nisi pulchritudinem culparent. Verissimus vates apud Divum Matthæum Messias est, cum ita inquit, οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον ὃς οὐ μὴ καταλυθήσεται. *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non dissolvatur.* Inter summam magnificentiam, & deformes reliquias momentum interceſſit. Ita vertuntur subitò cuncta. & omninò natura, quæ ad originem rerum parcè utitur viribus suis, ad ruinam toto impetu venit. Exspectant adhuc Iudæi tertium templum, ajuntque tribus Patriarchis, Abrahamo, Isaco, & Iacobo suam cuique deberi ædem. Id erutum ab illis ex sacri codicis quibusdam locis est, quæ non intellexêre. Ita se miseri sua spe solantur, & cum Sabinis somniant quod volunt. Templi urbisque vix vestigia restabant, cum Hadrianus Cæsar, multis post Titum annis, in eodem solo Aeliam suam, & pro templo veri numinis quoddam exstruxit templum Iovis Capitolini. Ad hoc, in fronte portæ, qua Bethlemum iter erat, suem posuit marmori insculptam, uti Iudæos malè ureret intuitu

tuitu exosissimi animalis. Hoc memoriæ proditum ab eruditissimo Eusebio est.

Caput XVI.

De templo Samaritanorum, quod in monte Garizin. Qui fuerint Chutæi. Vnde advecti in Samariæ sedes sint. Quanto deteriore conditione fuerint quam Iudæi. De religione eorum quadam. Fuisse eos primum idololatras: mox, abdicato idolorum cultu, lapsos in hæresin esse.

Atque ædes quidem Ierosolymitana, de qua jam diximus, à solis culta Iudæis fuit. Samaritanorum autem aliud quoddam templum in monte Garizin erat, quod Sanaballetes, magni Alexandri permissu, extruxerat, uti generum suum Manassen pontificatu ornaret. Quare profectò, cum pridem antea Iudæi Samaritanique per æmulationem diversa sacra habuissent, recenti hac ædificatione mirum in modum vetera odia exarsere: quæ mitigari nec tunc quidem contigit, cum, ducentis pòst annis, dirutum id templum ab Hyrcano est. De Samaritanis, quos sæpe rerum Iudaicarum scriptores loquuntur, pauca in transitu dixisse satis erit. Non erant illi vera Israëlitarum propago, sed incondita

colonorum multitudo, quam ex Chutæorum, Babylonienſiumque, & Chamathæorum, ac Sepharvaimitarum, Chavæorumque ſedibus collectam rex Aſſyriæ in Samariam transvexerat, poſtquam Iſraëlitæ omnes, qui ſeceſſionem à Iudæis fecerant, abducti in longa exilia, diſperſique per Colchos, Parthos, atque Æthiopes ſunt, nunquam ut ex illa tempeſtate in Palæſtinam redierint. Quare jam Samaritani, qui in vacuam eorum regionem miſſi ſunt, nihil niſi retrimenta hominum & mendicabula fuere, plane ut ſunt illi apud Siculum vatem

---οὔτε λόγῳ τινὸς ἄξιοι, οὔτ' ἀριθμητοὶ,
δύστανοι μεγαρῆες ἀτιμοτάτῃ ἐνὶ μοίρᾳ.

Sanè quanti pretii fuerint, monet nos vetus Iudæorum verbum, quod Rabbi Elias refert, למה היה דוד המלך דומה לכותי המחזיר על הפתחים: *Cui rex David ſimilis fuit? Chutæo oſtiatim ſtipem petenti.* quod nos de maximo rege dictum putamus, qui apud Aciſchum illuvie ſordibuſque ſeſe fœdaverat, ut contemptu tutus foret, ubi in jure parum præſidii eſſet. Apud Romanos quidem, profligatis penitus Palæſtinorum rebus cum victoris arbitrio jura omnia

omnia amitterent retinerentve tam Samaritani, quàm Iudæi, longè deteriore conditione Samaritani fuere. Interdictus enim illis omnis legitimus actus fuit: ac duntaxat testamentaria testimonia, quæque in ultimis elogiis, vel in contractibus consistunt, propter utilitatem publicam permissa illis sunt, ne probationum facultas angustaretur. Iudæis vero testimonii quidem dictio contra orthodoxos in judiciis non fuit. at inter se, ubi litigandum existimassent, fœdus permixtum habuere, & dignos litigatoribus etiam testes introducebant. Quæ constituta in hunc modum à Iustiniano sunt *in l.* XXI. *C. de Hæreticis & Manichæis.* Idem porro Iustinianus in Novel. CXXIX, *Samaritas pridem atroces, elatosque contra Christianos, & in omnium velut novissimam superbiam excedentes* ait: ut mirari nemo amplius debeat, cur in Novel. CXLIV. cautum sit, ne majores natu, qui eam superstitionem coluissent, ad sacrum lavacrum admitterentur, antequam Christianismi elementis initiati per duos annos essent. De religione eorum simplex esse sermo nequit. variata enim identidem temporibus est. Ac initio quidem Israëlitæ, qui à Iudæis per civiles discordias segre-

segregati Samariam incolebant, idolorum cultores fuere, vituloſque aureos venerati ſunt ad Ægyptiorum imitationem, quibus ſummum numen Apis erat. Mox, qui in vacuas ſedes eorum adducti populi ſunt, gentilia ſinguli ſacra habuere. Chamathæi enim Aſchimam, Chutæi Nergalem, Babylonienſes Succot Benot, Havæi Nibchanem & Tartacum, Sepharvaimitæ Adramelechum atque Hanamelechum adoraverunt. Ea enim arte uſus Eſar Chaddon Aſſyriorum rex eſt, cum novos colonos in Samariæ agros deduceret. Nihil ſibi fore adverſus ſubditos utilius credidit, quam ſi in commune conſulere eos religionum non ſineret diverſitas. Quanquam poſtmodum, cum nova malorum cohors terris illis incumberet, legatorum, qui miſſi ab illis ſunt, precibus idem rex permotus, ſacerdoti Iſraëlitico gratiam exilii fecit, ut propere profectus ſacra patria eos edoceret, placaretque iratum numen. Ita veterum indigenarum ceremonias receperunt. ſed fixa tamen in animis omnium manſit gentilis ſuperſtitio. Tandem autem, ſero quidem admodum, ſed aliquandiu tamen ante Sanaballetæ tempora, penitus omnem idolorum cultum abdicavere,

cavere, secutique eas religiones sunt, quas divinus Moses præscripserat. Hîc vero notanda insignis eorum hæresis est. Etenim, cum Iudæi tria volumina sacri codicis susceperint, Pentateuchum, Hagiographa, & vatum effata, in quibus singulis divinitatem spirare, atque inesse quiddam sacrosanctum credunt, ipsis visum est solum Pentateuchum retinere; cætera, tanquam leviora, atque ab hominum ingeniis profecta, aspernari.

Caput XVII.

De Hæresibus sectisque Iudæorum. Quando eæ ortæ sint; & vera causa earum. Cur ante exilium Babylonienſe in idololatriam, post illud exilium vero in hæreses inciderint Iudæi. Quare difficile sit ab idololatria ad hæresin desciscere. De Bano, deque Gaulonitis, & Zelotis, item de impostoribus quibusdam, qui in Iudæa religionum prætextu grassati ad res novas sunt.

SAmaritanorum prava de Hagiographis opinatio, quam percrebuisse diximus, tunc orta demum est, cum à paganorum superstitione recesserant: ut non ante facti hæretici sint, quam esse idololatræ desiissent. Sane etiam

Iudæis

Iudæis plane in eum modum res processit. de quorum sectis ut deinceps aliquid dicamus, nunc bona occasio est. Illud hercle constat, non semel Iudæos à recto numinis cultu ad sacra peregrina, atque ad falsos deos sese convertisse. unde tot vatum acerbæ conciones in eam gentem fuere, quas etiam nunc hodie amplissimis literarum monumentis consecratas viritim terit publicus usus. Sed rursum illud observavimus, sub posteriore templo Iudæos, cum ab omni idololatria alienissimi erant, diverso genere vitiosos fuisse. Etenim ex illo tempore variis interpretationibus sacri codicis, dissensionibusque de religione, dequerebus divinis inter se pugnaverunt. Quare aliud malum, non leve profecto, ortum tunc est, sectæ hæresesque. In partes enim se divisere varias homines male curiosi: atque uno ex errore infiniti, diversi omnes, & contrarii nati sunt. Iam primum Saducæorum vesana opinio permultos tenuit, esse animas, ut corpora, mortales, neque post vitam præmia aut pœnas bonos malosve sequi. Et rursus Pharisæi, homines supra modum factiosi, commentis suis legem divinam multo latius, quam summus Moses voluit, extenderunt.

Ex

Ex quibus dehinc Essæi tertium genus orti, religionum sanctimoniam omnem paulo magis scrupulatim ad anxias quasdam superstitiones exegerunt. Hæc dissensionum atque sectarum nomina tunc reperta demum sunt, cum vates sacri sub templo posteriore nulli essent, & idolorum cultum nesciret amplius Iudæa natio. At ante, cum prophetarum vox Palæstinam sub priore templo personaret, idololatriam quidem secula viderunt, hæreses autem, perversæque & pugnantes de religione sententiæ nusquam erant. Cujus rei ratio perquam probabilis edi potest. Enimvero qua tempestate vates verba cum numine commutabant, aut alio pacto cœlitus ea accipiebant quæ publicanda mortalium generi erant, nullæ disceptationes controversiæque oriri de sacrorum curatione, deque legibus & præceptionibus divinis poterant, propterea quod erant in medio, qui mortalium ineptas hæsitationes, & disputandi intemperiem resecarent. Autoritate enim plus quam humana armati vates, legum sacrarum atque ipsius numinis voluntatem proloquebantur. Quare, qui illis auscultare recusabant, profecto quoniam infirmitate judicii, aut errore vel ignoran-

norantia labi in pravos sensus nequibant, necesse fuit, ut refractarii contumacesque fierent, & excussa pietate ad idolorum cultum desciscerent. Nihil medium erat. Capessunda vatum imperia erant, aut ponenda numinis reverentia fuit. At sub templo posteriore, cum prophetas major vis, afflatusque divinus non ageret, *omnia hæc* secus fuere. Quoniam enim *jam nusquam* erant sacrarum *legum*, cœlestiumque arcanorum consulti, in quorum verbis inesset plena fides, continuo dehinc mortales, non contenti scire, quæ ab illis acceperant, ardorem mentium ultra ad rimandum omnia tulere, & suis se tenebris involvit humana imbecillitas. Quare controversias & quæstiones ex sacris literis eruere, morbus esse cœpit deterioris ævi. Talmudicorum illud est, octodecim res esse, de quibus contentio fuit inter familiam Hillelis & Sammæi, quas nec Elias quidem expedire possit. Profecto hoc est ad desperationem desipere. Adeo enim nodosa atque intricata commenti sunt duo illi dissidentium sectarum duces, ut nec vatem quidem, aut cœleste oraculum ferre opem potuisse autumét. Accedit quod sub priore templo lex recitata duntaxat à Levitis

vitis populo est, aut etiam domi à singulis legebatur. interpretatio magistrorum, commentatioque nulla erat. At sub posteriore oraculis cessantibus, receptum paulatim more publico est, ut verba Biblici contextus, sensaque explicarentur. Ad quam rem eruditi ingenium suum advocavere. Ex quo natæ disputationes, sententiæque contrariæ sunt. &, cum pertinax studium, pravaque ambitio accederet, sectæ atque hæreses extiterunt. Scio equidem, ante Babylonienſe exilium fuisse quosdam, qui Naziræi, Kenæique, & Rechabitæ dicerentur: sed ii certa quadam vitæ disciplina, non opinionibus sententiisque, diversi à reliquo populo erant. Quare id profecto ad rem, de qua nunc agimus, nequaquam pertinet. Porro jam promptum est divinare, cur sub posteriore æde, cum ortæ hæreses sunt, idololatria locum apud Iudæos non habuerit. Ita enim comparatum natura est. Constantissime motales eas ceremonias religionesque tenent, quas commentis suis atque fictionibus adornant interpolantque. Amat enim quisque hoc, quod repertum à se est, & ingenio suo applaudit. Nulla mater filiolam suam æque exosculatur, ut isti sectarum patres in-

venta sua. Quare Iudæi profectò hac mercede postremis temporibus Mosaicam religionem coluerunt, dum de suo adderent quippiam. Quod quia per vates non licuit antea, sæpe desertores facti sunt, & ad idola sese converterunt. Diximus principes sectas tres fuisse, Pharisæorum, Saducæorum, Essæorumque. Eas *Flavius Iosephus* se perambulasse, tentasseque singulas ait, uti quid in *quaque* probandum maxime esset, exquireret. Mox, eum studio sapientiæ flagrantem animum coërcere nondum posset, per totos tres annos apud Banum quendam se fuisse scribit, qui in deserto corticibus arborum vestitus, cibos duntaxat sponte natos sumebat, corpusque nocte & die frigidis undis mergebat, quo vitam castius ageret. Sunt apud eundem Flavium plures aliæ sectæ, de quibus disserere longa mora esset. Ex his quædam, quia *religionis* obtentu & honestis vocabulis summa reipublicæ, atque ea, quæ imperii erant, tentabant, factiones potius, conjurationesque, quàm sectæ fuere. Vtique Gaulonitæ, pervicacissimæ pietatis homines, ut Cæsarem de cervicibus suis depellerent, solum Deum tenere terrarum regna jactabant. Et in Zelotarum

rum motibus, qui omnem pene Iudæam turbaverunt, nihil perinde obfuit, atque mos jam exortus, ut speciosa præscriptione homines quidam turbulenti spei suæ, cupiditatique velificarentur. Iam illa quoque non instinctu divino, sed dominationis libidine evenerunt. Theudas impostor quidam sub Cuspio Fado, ingenti Iudæorum multitudini persuaserat, uti bona convasarent, seque ad Iordanem sequerentur. Vatem enim esse se professus est, promisitque se flumen istud siccis pedibus transiturum. Nec minore vesania Ægyptius quispiam populum ad Olivarum montem, quasi numinis imperio, vocabat, iturus hinc Ierosolymam, atque una voce muros urbis subversurus, ut per ruinas apertum iter tutumque omnibus foret. In universum vero Flavius, cum Iudææ statum publicum, qui sub Felice erat, exsequitur, pene indignabundus illud in hunc modum ait [1], λῃστείων ἡ χώρα ἀνεπλήσθη, καὶ γοήτων ἀνθρώπων, οἱ τὸν ὄχλον ἠπάτων. *Latronibus tota regio & quibusdam magis atque fascinatoribus repleta est, qui multitudinem seduxere.* Et mox de iisdem ita subjicit,

[1] *In lib. 20. Antiq. cap. 6.*

δείξειν ἔφασαν ἐναργῆ τέρατα καὶ σημεῖα κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόνοιαν γενόμενα· καὶ πολλοὶ πεισθέντες, τῆς ἀφροσύνης τιμωρίας ὑπέσχον. *Ajebant manifesta prodigia atque portenta se edituros, quæ Dei cura providentiaque evenirent. Et plurimi, cum fidem illis haberent, dementiæ suæ stoliditatisq; pœnas pertulerunt.* Vsque adeo nihil in speciem fallacius est, quam fanaticorum quorundam insidiosa hujusmodi religio, pietasque. Statim enim plebs, ubi Dei numen magnis ausubus prætenditur, facilem se ad omnia præbet, & melius vatibus suis, quam ducibus regibusque paret.

CAPVT XVIII.

Virtus bellica Iudæorum. Quanti ea fuerit apud exteros reges. Verba Chœrili à Flavio Iosepho male accepta. Qui sint Solymorum montium habitatores in Chœrili carmine. Tonsuræ modus Iudæis vetitus. Quid hoc sit, quod de Phœnicum sermone Chœrilus ait.

DE rebus Iudæorum dicenti, pertractanda quoque ea sunt, quæ ad militiam eorum spectant. quippe omnino posita omnia sunt latentque in tutela atque in præsidio bellicæ virtutis.

Sed

Sed profecto veterum Rabbinorum industria adeo incurioſe hanc partem reipublicæ Hebrææ perveſtigavit, pene ut nihil hîc ſit, quod proditum commentationibus eorum meminimus. Fortitudinem quidem militarem in hac gente ſummam fuiſſe illud argumento eſt, quod homines exules, atque Ægypto profugi, quos longus error, & quadraginta annorum calamitas imparatos à rebus omnibus in Arabum deſertis attriverat, Cananæam omnem bellicoſiſſimis populis habitatam, brevi tempore ſubegerunt. Flavius verò ubique, quoties de indole Iudæorum naturaque loquitur, durum à ſtirpe genus deſcribit, periculorum atque mortis ſecurum, laboriſque & inediæ patiens penè ad pertinaciæ infamiam. Quapropter reges exteri quoque, cum auxiliares copias aliunde adſciſcerent, perſæpe uſi hoc milite ſunt. & compertum egregiis experimentis eſt, virtute eorum atque ope res eſſe maximas patratas. Certè Alexander Magnus, dum gentes multitudine infinitas, terrarumque ſpatiis longe diſſitas, parva militum manu vinceret, Iudæos partem exercitus ſui fecerat, ut gloriam domiti orbis etiam illis acceptam ferret. Tum, quod Fla-

vius adversus Apionem notat, ἔα αὐτοὺς στρατεύειν τοῖς πατρῴοις ἔθεσιν ἐμμένοντας, καὶ κατὰ ταῦτα ζῶντας. *potestatē illis fecit, ut mores patrios, priscaq; instituta in militando servarent, ac secundum ea viverent.* Quod profecto honori eorum datum est, & apprime tunc inusitatum fuit. Existimat quoque Flavius, Xerxem, cum nobilissimam illam expeditionem adversus Græcos suscipe-ret, Iudæos inter auxilia atq; inter socios habuisse. Et in fidem ejus rei, testimonium Chœrili recitat: de quo paulisper agendum nobis est, quia nunquam credere potuimus, Flavium rectè sententiā percepisse vetustissimi vatis. Verba Chœrili, quæ Flavius Apioni objicit, istæc sunt,

Τῷ δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες.
Ὠίκεε δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατέῃ ἐνὶ λίμνῃ,
Αὐχμαλέοι κορυφὰς, τροχοκούριδες· αὐτὰρ ὕπερθεν
Ἵππων δαρτὰ πρόσωπ' ἐφόρουν ἐσκληκότα καπνῷ.

Hæc in hunc fermè modum reddita sunt ab interpretibus:

Exin

Exin miranda ſpecie gens caſtra ſecuta eſt,
Thœnicum ignoto quæ voces ederet ore.
Hæc Solymos habitans montes, ſtagnum prope vaſtum,
Circumtonſa comis, ſqualenti vertice, equini
Exuvias capitis duratas igne gerebat.

Hîc vero Flavius Solymos montes eſſe eos ait, quos in Palæſtina Iudæi incolunt, & Aſphaltiten lacum ſignificari putat, qui omnium in Syria latiſſimus maximuſque eſt. Sed hoc, quantumcunque eſt, nihili eſt. Quid enim cauſæ dicet, aut, quam rationem nobis Flavius oſtendet, cur Iudæos Chœrilus περιχυτέλδας, hoc eſt, *in orbem circumtonſos* dixerit? Sane pro certo eſt, id tonſuræ genus inviſum Iudæis omnibus & pene execrabile fuiſſe. quippe interdictum illis ſeveriſſima lege fuit, שלא יקפו פאת ראש *ne angulum capitis circumtonderent.* De qua re extant verba numinis in Levitici capite XIX. Iam verò, quod de Solymis montibus, deque lacu adjacente ex Chœrili celeberrimo carmine adfert ille, id vero diluere non difficile eſt. Alios enim montes Solymos, procul à Palæſtina ſitos,

Homerus celebravit, cum de Vlysse navigante ita inſit in Odyſſ. ε:

Τὸν δ' ἐξ Αἰθιόπων ἀνιὼν κρείων
Ἐνοσίχθων
Τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν·
εἰσατο γάρ οἱ
Πόντον ἐπιπωλεῖων.

Atque hos Piſidarum eſſe, atque ab illis incoli, traditum à maximis vetuſtiſſimiſque auctoribus eſt, qui etiam ſtagnum quoddam in vicino ponunt, planè ut omnia Chœrili verbis conſonent. De Phœnicum autem lingua, qua locutos montium iſtorum incolas Chœrilus ait, ita exiſtimandum eſt, latiſſimè uſum ejus idiomatis patuiſſe, ut omnes penè, qui circumcirca erant, populi quaſdam veluti dialectos uſurpaverint ex Phœnicum ſermone. Quare profectò ad ſolos Iudæos hoc pertinere, nihil neceſſe eſt.

CAPVT XIX.

De bello, quod lege indictum fuit, deque eo, quod ſponte ſuſceptum ab Hebræis eſt. Quales pacis leges oblatæ hoſtibus ſint. Quid illud ſit, quod Talmudici de ſeptem præceptis tradunt, quæ ſervanda omnibus gentibus fuêre. Quàm citò poſt orbem conditum, & quàm latè animos mortalium pervaſerit idolola-

lolatria. Hebræorum notabilis ſententia de Abramo: & quando is rectum numinis cultum ſuſceperit.

SEd, omiſſis iſtis, expediamus porrò quæ de militia Iudæorũ in mentem nobis veniunt. Duplicis generis bella Talmudici conſtituunt, quæ geſta à ſacro populo fuêre. nam & מלחמות מצוה ea bella appellant, *quæ juſſu numinis, legiſque ſuſcepta ſunt:* & rurſus מלחמות הרשות ea eſſe ajunt, *quæ pro imperio, atque ad ampliandam rempublicam geſſere.* De priore genere ita Maimonides infit in Halacha Melachim, in cap. v. מלחמת המצוה היא מלחמת שבעה עממים ומלחמת עמלק ועזרת ישראל מיד צר שבא עליהן: *Bellum, quod lege indictum dicitur, illud eſt, quod cum ſeptem populis, atque cum Amalekitis fuit: aut ſi ſuppetias ferri neceſſe fuit cuidam Iſraëliticæ tribui, quam hoſtis invaderet.* Septem illi popli, de queis loquitur, fuerunt Chittæi, Girgaſæi, Emoræi, Cananæi, Chivæi, Perizæi, & Iebuzæi, quorum ſedes armis invadere Iſraelitas jubet Deus in Exodi capite xxiv, & in Deuteronomii capite vii. De memoria autem Amalekitarum obliteranda illuſtre eſt numinis edictum in Deuteronomii capite xxv. Ad poſterius bel-

lorum genus ea pertinent, quæ subjicit ibidem Maimonides, מלחמת הרשות היא המלחמה שילחם המלך עם שאר העם להוסיף גבול ישראל ולהרבות גדלתו ושמעו: *Bellum, quod pro imperio susceptum appellant, illud est, quod cæteris populis rex intulit, ad proferendos Israëlitarum fines, atque ad augendam magnitudinem famamque eorum.* In eadem Halacha in capite VI persequitur Maimonides quasdam cautiones, quas in utroque bello servari summus Deus voluit, quæ in Deuteronomii capite XX scriptæ in hanc ferme sententiam sunt. *Cum veneris ad aliquam urbem, ut oppugnes eam, primum invita eam ad pacem. Si responderint se pacem colere velle, portasque aperuerint, sint tibi tributarii, serviantque tibi omnes, qui in ea urbe sunt. Quod si non ineant pacem tecum, sed bello & armis experiri tecum malint, obside urbem, cumque tradiderit eam Deus in manum tuam, percute omnes masculos acie gladii, fœminas vero puerosque, & jumenta, denique quicquid erit in urbe, & omnia spolia ejus, auferes tibi, frueriſque præda hostium tuorum, quam dederit tibi Deus. Atque hoc quidem pacto victoriam exercebis duntaxat in iis urbibus, quæ procul à te aliis in terris sitæ sunt. At cum iis urbibus, quas tibi Deus tuus habitandas pleno ha-*

no *hæreditatis jure dat, aliter agendum est. Cave enim, ne illic vitam cuiquam homini relinquas.* Hîc quod summus legislator parcendum illis gentibus ait, quæ oblatam pacem acceperant, ita intelligendum Talmudici ex vetustissima majorum traditione ajunt, ut insuper necesse habuerint eæ gentes suscipere septem præcepta, quæ filiis Noachi data ante beatum Abrami seculum sunt. alioquin vitam illis relinquendam haud fuisse, quibus religio nulla numinisque observantia esset. Enimvero Iudæorum sapientissimi ita ajunt, sex res fuisse, de quibus edictum numinis acceperit primus hominum parens. nam & cœlitus didicisse eum, celebrandam divini nominis majestatem esse, atque jura dici mortalibus debere: & rursus, interdictum illi fuisse, ne sanguinem humanum funderet, neve idola coleret, aut rapinas exerceret, tum ne multiplicato mox hominum genere, incestis se nuptiis fœdaret. Atque hanc quidem esse Cabbalicam quandam doctrinam, quæ tradita posteris per manus sit ab usque Mosis seculo: cæterum, ex tacito sensu cujusque, atque in universum ex verbis Pentateuchi manifestum esse, hæc præcepta in hunc modum data primo homini

mini fuisse. Tandem vero Noachum cœlesti voce admonitum esse, ne membrum vivi animalis comederet. Scriptum enim in Genesi esse, *carnem cum anima ejus, quæ est sanguis ejus, non edetis.* Ita septem præcepta confici ajunt, quibus tantisper gens mortalium regebatur, donec Abramo posita lex de circumcisione fuit. Talmudicorum sententiam, quæ exposita à *nobis est*, eruditissimus Maimonides *illis* verbis recitat, quæ extant in Halacha Melachim, in capite IX. על ששה דברים נצטוה אדם הראשון על עכו"ם ועל ברכת השם ועל שפיכות דמים ועל גילוי ערוה ועל הגזל ועל הדינים: אף על פי שכולן הן קבלה בידינו ממשה רבינו והדעת נוטה להן מכלל דברי תורה יראה שעל אלו נצטווה: הוכיח לנח אבר מן החי שנאמ' אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו: נמצאו שבעה מצוות: וכן הית הדבר בכל העולם עד אברהם בא אברהם נצטווה יתר על אלו במילה: Antequam à diverticulo ad rem redeamus, libet nobis exponere quid illud sit, quod ex Talmudicorum sententia diximus, inter septem præcepta, quæ primis mortalibus data sunt, etiam hanc sanctionem numinis fuisse, qua interdictus illis idolorum cultus est. Vtique Maimonides in Halacha Habodat Cochabin & Mazzaloth, luculenter ostendit, vitiosam religionem

nem inter ipsa mundi initia inoleviſſe. etenim jam tum Enoſchi tempore ex hominum quadam ſuperſtitione ſidera planetaſque in magno honore eſſe cœpiſſe, licet à vero numine nondum penitus deſciſcebatur. mox, ut eſt fœcunda res error, templa atque ſimulacra ſtellis conſecrata eſſe, donec tandem, ſpreto plane numine divinam religionem omnem planetis duntaxat tribuerunt. Excipit tamen maximus Rabbinus paucos quoſdam, Chanochum, Methuſcelachum, Noachum, Semum, atque Heberum, qui Deum unum, eundemque vere optimum atque maximum ſemper pura, integra, incorrupta & mente & voce venerati ſunt. De errore enim, qui mortale genus tenuit, deque ſeculi vitio loquitur. Ipſum Abramum ſero admodum, cum jam quadraginta annos natus eſſet, agnoviſſe ait Deum conditorem ſuum. fuiſſe enim eum in Vre Chaldæorum tenebris & caligine mentis demerſum, inter homines ſuperſtitioſos, idololatraſque, atque una cum illis eandem inſaniam inſaniviſſe. tandem vero, cum meliora edoctus à numine eſſet, ſtuduiſſe eum inſcitiam veri Chaldæis eximere: ſed quoniam inſidiis à rege petebatur, in Charanenſium

sium sedes eum concessisse, atque hinc in Cananæam venisse, ubi cœlestem doctrinam tam feliciter ad suos propagavit, ut jure eum Maimonides עמודו של עולם *columen atque stabilimentum seculi* appellet. Hæc summo judicio animadvertit author cordatissimus. Neque nos ea referre piguit, quia illustrare Talmudicorum scitum poterant, quod de septem *illis præceptis* retulimus, quæ Noachi posteros ita obligabant, ut, si forte populi quidam inter pacis leges suscipere eorum observationem recusassent, eos Iudæi exscindere penitus, tanquam barbarie atque immanitate efferatos, jussi sint.

CAPVT XX.

Feciales pacis offerendæ causa missos esse etiam ad septem Cananæa populos, contra quam vulgo existimatum est. Cur Gibeonitis dolo atque astu opus fuerit ad petendam pacem. Cur septem Cananæa populi ad internecionem occisi. Cur Ammonitis & Moabitis oblata pax non sit. De sacerdote, qui prælii causa ungebatur.

NVnc porrò alia exequamur, quæ Maimonides ad interpretationem illorum verborum attulit, quæ nos paulò

paulò antè ex Deuteronomii capite viceſimo adſcripſimus. Sanè quod legatos de pace prius mitti ſummus Deus ad eas nationes jubet, in quas Iudæi arma parabant, id Aegyptius ille certiſſimo documento pertinere etiam ad ſeptem populos evincit, quorum fortunatas ſedes Iſraëlitis Deus promiſerat. Quod quidem contra opinionem eorum eſt, qui ſine diſcrimine, & nulla exceptionis lege factam à numine proſcriptionem earum gentium ajunt. Sed refellit eos inſigne teſtimonium, quod Maimonides noſter citat ex libro Ioſuæ, ex capite XI. ubi ſic ferè ſcriptum eſt: *Nulla fuit civitas, quæ pacem fecerit cum Iſraelitis, præter Chivæos Gibeonitas. Cæteri omnes bello capti ſunt. Induraverat enim animos eorum Deus ad pugnam cum Iſraelitis conſerendam, ut internecione occideret eos, nec fieret illis gratia.* Enimverò illud hinc efficitur, deletas propterea eas gentes eſſe, quia belli fortunam tentare, quàm conficere pacem in Iſraëlitarum leges maluerunt. Quod ſi fecialibus auſcultaſſent, utique jam ſalus earum neutiquam in dubio fuiſſet. Quærit dehinc Maimonides, quid igitur cauſæ ſit, cur Gibeonitæ aſtu doloque petendam pacem cenſuerint, ſeque gentem procul

in aliis terris sitam finxerint, cum hercle certum illud sit, vera via pervenire eos ad hoc, quod cupiebant, potuisse? Sed respondet princeps Rabbinorum, antea legatos ad Gibeonitas quoque, sicut ad reliquas sex nationes, missos fuisse; eosque ab illis spretos esse. quare ex ea tempestate legem numinis adversus eos valuisse, quæ de internecione septem gentium lata erat. Gibeonitas autem, cum eam legem postea resciscerent, copiasque Israelitarum latè victrices pertimescerent, venienti malo caviſſe: &, quia post spretam semel pacem vera remedia consumpserant, fallaciis atque arte usos esse. Hæc in hunc modum ferè decisa à Maimonide sunt. Porrò, quod in septem gentes illas victoria aliter exercita, quàm in cæteras, fuit, ita ut illîc quidem exscindi viros fœminasque atque infantes etiam, hîc verò sufficere expiationi solam virorum cladem lex voluerit, ea disparitas ab hac adeò causa est, quòd septem illi populi vulgo & passim in sese flagitia quædam fœdiora admisere, à quibus recta ratio naturaque hominum communis refugit atque abhorret. Quare profectò summus Deus eos, veluti terræ odium onusque fuisse significat, cum in Levitici capite

xviii, enumeratis id genus vitiis, postremò ita fatur, *Polluta est terra, & iniquitatem ejus ego visitavi adversus eam, & evomuit terra habitatores suos.* De Ammonitis & Moabitis edictum singulare exstat in Deuteronomii capite xxiii, quo cautum fuit, ne eos unquam Israelitæ ad pacem solicitarent. & causa ibidem editur ejusmodi, quia commeatum Israelitis non advexerant ex Ægypto venientibus. tum &, quod Bilhamum vatem magna mercede conduxerant, qui omnia infausta eis auguraretur. Subjicit autem quandam cautionem Maimonides, quæ huc transscribenda est, אף על פי שאין שואלים בשלומם אם השלימו מעצמם תחלה מקבלין אותן: *Etsi*, inquit, *legatos de pace non mittebant ad eos, tamen si sponte sua initio eam cuperent, non repellebant eos.* In Halacha Melachim, quam identidem memoravimus, in capite vii, multa prodit Ægyptius noster de sacerdote quopiam, qui prælii causa consecratus publicè fuit. de quo ita infit: אחר מלחמת הרשות ואחר מלחמת המצוה ממנין כהן לדבר אל העם בשעת המלחמה ומושחין אותו בשמן המשחה וזהו הנקרא משוח המלחמה: *In bello, tam quod gerebatur pro imperio, quàm quod lege divina indictum fuit, sa-*

cerdotem creabant, qui exercitum allo-queretur sub tempus prælii, ungebantque eum oleo sacro. Atque hic ille est, qui משוח המלחמה *hoc est, prælii causa unctus dicebatur.* Oratio ejus, qua ad populum usus est, recitatur in Deuteronomii capite XX, fuitque ejusmodi: *Eia, audite Israelitæ. Vos proceditis hodie in prælium contra hostes vestros. Ne molescat cor vestrum, neu trepidate aut expavescite metu eorum. Progreditur enim vobiscum in expeditione Deus vester, pugnatque cum hostibus vestris, uti servet vos.* Refert Maimonides etiam alia verba, quæ sacerdos ille ex tabula aut libro publice pronuntiavit, non sub ipsam pugnam hercle, sed tunc, cum ad bellum exiret populus. Sed nos tenuissimas particulas, atque omnia minima mansa huc non inseremus.

CAPVT XXI.

Qui fuerint immunes militiâ. Saulis severitas in cogendo milite. Pœnæ in eos sancitæ, qui sacramentum detrectarent. Vnde Flavius scripserit, deos peregrinos in bello non violandos Iudæis. Laudabilis Iudæorum religio, cum Beli ædes refecta ab Alexandro est.

IN Deuteronomio privilegia quorundam recensentur, quibus vacatio mili-

militiæ concessa ad breve tempus fuit: inter quos fuere, qui recens vineam plantassent, quique exstruxissent novam domum, tum qui sponsi aut novi mariti essent. Ex quo certe constat, munia militiæ non eos duntaxat subiisse, qui ultro nomen dabant, sed quoscunque rex, populive ductor ad sacramentum adegit: ut jam hoc totum necessitatis fuerit, non arbitrii. Vtique Saul quidem, cum arma capessere omnes vellet, membra duorum boum frustillatim concisa per duodecim Israelitarum tribus circummisit, interminatus hoc idem se facturum armentis eorum, qui sequi se ad bellum recusassent. Quare profecto jam non sine exemplo est Romanorum severitas, in quorum institutis olim erat, ut, qui ad delectum non respondissent, tanquam proditores libertatis in servitutem redigerentur: qui vero filium suum militiæ subtraxisset, in pace fustibus cæderetur, belli tempore exilio & bonorum parte multaretur. Quæ sic relata ex Carrii Menandri libris sunt *in l.* 4. §. 10. & 11. *ff. de re militari.* Divus quidem Augustus equitem Romanum, quod duobus filiis adolescentibus causa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum bonaque subjecit

jecit haſtæ. & præceptum Divi Trajani fuit, ut hujuſmodi parentes deportarentur. Non uno edicto maximus legiſlator Moſes Iſraelitis præceperat, ut terram hoſtilem armis ingreſſi, ſimulacra omnia, templaque, & altaria Deorum diruerent, quos cæteræ nationes per errorem coluiſſent. Ait tamen Flavius [1], lege Moſaica conſtitutum fuiſſe, μὴτε χλευάζειν, μήτε βλασφημεῖν τὰς νομιζομένας παρ' ἑτέροις αὐτῆς ἕνεκα θεότητας. *ne quis eos derideret, quos gentium aliarum opinio Deos confinxit, neve quiſquam male illis diceret, ſaltem enim prodeſſe illis honorem tanti nominis debere.* Nos ex qua Pentateuhi parte illud Flavius in ſua ſcripta tranſtulerit, divinare non poſſumus. Quin exiſtimamus potius, hallucinatum eum eſſe, neque intexllexiſſe verba ea, quæ in Exodi capite XXII ſcripta in hunc modum ſunt, אלהים לא תקלל *non execraberis deos.* quæ profecto in eam ſententiam accipienda ſunt, ut ſignificetur, ſacroſanctos eſſe rerumpublicarum moderatores, qui in terris vice numinis funguntur. Illud vero, quod in eadem diſſertatione Flavius adverſus Apionem

[1] *In Apolog. adverſus Apionem.*

pionem adducit, magis ex vero est, & militum Iudæorum summam constantiam in retinendis patriis legibus arguit. Ex Hecatæi enim, maximi scriptoris, commentariis prodit, qua tempestate olim Alexander Babylone erat, & ad instaurandum Beli templum, quod corruerat, cunctos milites aggerere terram jubebat, solos Iudæos imperia ejus detrectasse, & verbera multa tulisse, atque graviter multatos esse, donec tandem illis & ignovit rex, & securitatem præstitit.

Caput XXII.

Sabbatorum observatio Iudæis sæpe noxia in bello. Ea superstitio animis hominum exempta per Matthiam Hassamonæum. Stratonicæ febriculosa pietas. Auspiciorum atque omnium vis à Mosollamo, acerrimo milite Iudæo, elusa. Ostenta & omina esse in potestate mortalium. Lex divina de sexuum distincto habitu non intellecta à Flavio. Adulterarum toga apud Romanos. Charondæ miles stolatus. Medorum Persarumque mollities.

DVm in his sumus, non prætermittendum est, quod Maimonides notavit, שצרין על עיירות כותים בשבת ועושין

ועושין עמהם מלחמה בשבתי *Iudæos paganorum urbes, cum ſabbatum eſt, obſidere, atque etiam prælium cum illis conſerere.* Sed hoc non ſemper profecto receptum ab illis fuit. Etenim Matthias Haſſamonæus, fortiſſimus imperator, cujus fuit virtus toti Iudææ ſalutaris, primus popularibus ſuis perſuaſit, non eſſe hoc divinæ legi contrarium. nam antea hercle execrabilis opinio omnes tenebat, malis auſpiciis & irato numine geri, quæ tali die pro ſe quiſque, aut pro republica tentaret. Agatharchides quidem apud Flavium, dum Stratonicam deridet, quæ capta à Seleuco, occiſaque eſt, quod in fugam ſe dare ob ſomnii cujuſdam ludibrium auſa non eſſet, geminam Iudæorum & germanam dementiam adjungit. Captam enim Ieroſolymam eſſe à Ptolemæo Lagi filio ait, propterea quod cives cunctos ſabbatorum obſervatio defenſione urbis prohiberet. Ac Matthias quidem Haſmonæus, uti diximus, hoc errore ſuos liberavit. Cæterum inceſſere rurſus animis hominum eandem ſuperſtitione contigit. Pompeium enim diu poſtea potitum urbe ſcimus, cunctis per ſabbata deſidentibus. Equidem ego Matthiam iſtum celſa indole virum, atque judicio rectiſſimo

mo fuisse existimo, qui fieri quibusdam casibus posse intellexerit, ut omissa ceremoniarum anxia observatio vel laudem ferat. Vtique nullæ leges positæ necessitati sunt, quæ semper magnum humanæ imbecillitatis patrocinium fuit, & quicquid coegit, defendit. Adde, viri illud & ducis esse, non deesse fortunæ præbenti se, & oblata casu flectere ad consilium. idque valere in omnibus rebus humanis, sed maximè in bellicis, quæ ex pactis conventis non procedunt, sed ipsæ ex se multa objiciunt nec opinantibus, quæ extremum discrimen pariunt ex mora. Iam miraculi instar nobis est, Iudæum reperisse, quem incepta urgere & favori numinis instare non vetuit scrupulosa pietas. Longe diversi generis est, quod Hecatæus de milite quopiam ejusdem nationis prodidit: quod referemus tamen, quia in pectore Iudæi insignem superstitionis fuisse contemptum probat. Ait ille scriptor, se in expeditione Alexandri fuisse, contendisseque ad rubrum mare cum Iudæis aliquot equitibus, qui sese comites addiderant: interque eos fuisse Mosollamum, hominem animosissimum, qui jaculandi peritia omnes & Græcos & barbaros anteiret. ibi, cum properantem exer-

citum augur quispiam sisteret, propterea quod alitem sedentem videbat, ex cujus volatu captare omen itineris parabat, è vestigio Mosollamum, correpta ingenti sagitta, confixisse alitem, atque insuper amarulento joco stultitiam eorum incusasse, qui miseram avem alieni conscium fati crederent, cum ignara sui esset. neque enim *scivisse eam, quantum periculi à Mosollamo* Iudæo immineret. Enimvero istud est sapere, non ex hariolorum responsis, nec è cantu sinistro oscinis, aut è tripudiis solistimis pendere, sed agendo vigilandoque vana ostentorum ludibria antecapere. Sane quidem C. Plinius, diligens harum rerum observator, in ipsa augurum disciplina constare ait, [1] *neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes observasse se ea negaverint.* Quo munere divinæ indulgentiæ nullum esse majus fatetur. Cætera, quæ dici de re bellica queunt, vix annotare libet. Ait Flavius, inter disciplinæ militaris præcepta & illud fuisse, ne in bello aut mulier virili, aut vir muliebri habitu uteretur. Enimvero quæ in Deuteronomii capite vicesimo & secundo extant,

[1] *In lib. 28. cap. 2.*

tant, paulo ille liberius audaciusque interpretatus in hunc modum est: Φυλάσσετε μάλιστα ἐν ταῖς μάχαις, ὥστε μήτε γυναῖκα ἀνδρείᾳ στολῇ χρῆσθαι, μήτε ἄνδρα στολῇ γυναικείᾳ. Sed profecto male accepit verba numinis, quæ in Deuteronomio extare diximus. Habet enim divina ista lex non tam in militia locum, quam domi & in pace, atque in omni reliqua vita. Nolebat enim sexus utriusque apparatum cultumque perverti aut confundi immortalis Deus, propterea quod maxime contrarium id honestati erat, ad quam nos fecit ille, formavitque. Quare profecto nec usurpatum hoc aliis gentibus unquam fuit, nisi per ignominiam, & pœnæ loco. Vtique apud Romanos quo pacto ornatæ pro suis virtutibus fœminæ ambulaverint, quæ convictæ adulterii erant, proditum multis autorum jocis est. ex quibus insigne est illud Martialis,

Thelin viderat in toga spadonem.
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Apud Græcos vero Charondas, severissimus imperator, milites suos, qui ordinem in acie deseruissent, per triduum pro concione stolatos destituit. Scio ego Medos olim stola ad talos demissa, mulierum in morem, incessisse:

& Persas quoque, id quod Xenophon in octavo Pædiæ ait, ad horum se imitationem composuisse: sed ii populi, quoniam hercle ad mundi teporem jacebant, evirati ipso terræ cælo & solo erant. Quare infamis eorum mollities apud cæteros fuit, & posita in vitio semper est.

CAPVT XXIII.

De Iudæis, qui extra Palæstinam in aliis regnis habitavere. Gentium plurium migrationes, & voluntaria exilia. De Iudæis Asiaticis, deque Babylonensibus, tum de Aegyptiis & Alexandrinis. Pecuniæ ab illis Ierosolymam missæ. Quantæ opes in sepulcro Davidis. Darius à Semiramide elusus. Iudæorum Hellenistarum, & Palæstinorum infensa æmulatio. Quo jure, quaque conditione apud Romanos Iudæi fuerint post eversam sacram urbem. De polygamia.

MArcus Annæus Seneca in consolatione, quam ad Helviam scripsit, populos quosdam enumerat, qui patrio solo relicto sedes suas commutarint, & transtulerint domicilia. Nam & in mediis barbarorum regionibus Græcas urbes esse, & inter Indos Persasque Macedonicum audiri sermonem,

nem, tum civitates Achaiæ Ponticis esse impositas litoribus, & Tyrios in Africa habitare, Pœnos Hispaniam incolere ait. Quæ quidem omnia ille nihil aliud nisi publica exilia vocat, in quæ alios domestica seditio, alios excidium urbium suarum, quosdam migrandi libido, alios alia causa emisit. Sed profecto hujus rei nusquam illustrius documentum est, quam in Iudæis, qui per Ægyptum, Græciamque, perque omnem Asiam & Africam late sedes suas procul à Palæstina posuere, & res illic amplas, uberesque habuerunt: regum autem principumque tantis affecti beneficiis sunt, ut inter exteros vitam exigere, quam in patriæ beato solo religiones, templumque venerari ex propinquo mallent. Atque Asiaticorum quidem dignissimi, nobilissimique erant Babylonienses, de quibus in libro primo, in cap. VIII diximus. Inter Hellenistas autem quos non Ægyptus duntaxat, sed omnis Græcia acceperat, primatum quendam Alexandrini tenebant. Vtique Ptolemæus Lagi filius, cum Iudæorum fidem & virtutem summam perspexisset, omnia Ægypti propugnacula & præsidia ipsis commisit: &, ut Cyrenam cæteraque Libyæ urbes firma di-

tione

tione teneret, multas eorum colonias in ea loca deduxit. Mox Philadelphus adeo deditus Iudæis fuit, qui sub imperio ipsius erant, ut leges eorum, & sacratissima jura verti Græce, atque in omnium esse manibus voluerit. Postremo Philometor, & uxor ejus Cleopatra curam tutelamque totius regni Ægyptiensibus his Iudæis *dedere: copiisque illis*, ex quibus *rerum momenta* pendebant, Dositheum & Oniam, homines itidem Iudæos, præfecere. Libertate autem omnes in illis ipsis sedibus tanta usi sunt, ut templum quoque in Heliopolitana præfectura habuerint, quod magna religione adirent. Neque fuit id profecto tumultuarium opus, quod casus, aut desperata exulum temeritas excitaverat. nam & Ptolemæi regis permissu constructum erat, & per annos trecentos ac quadraginta incolume stetit: ac tandem vero sub Vespasiano demum *clausum* prophanatumque est. Mansit tamen inhæsitque tam Hellenistis profecto & Ægyptiensibus, quam cæteris omnibus, qui extra Palæstinam degebant, amor affectusque in ædem Hierosolymitanam. Quippe pecuniæ ab *illis* statotempore illuc mittebantur: & donaria eorum amplissima erant. Recitat

tat Flavius Iosephus [1] literas Octavii Augusti, Agrippæque, & Norbani Flacci, atque Iulii Antonii ad Cyrenenses, Ephesios, Sardos, atque ad alios missas, in queis scriptum erat, ne Iudæi, qui apud illos habitabant, dona pecuniasque in usum templi & sacrorum mittere Ierosolymam prohiberentur. Sanè quidem ii, quos Mesopotamia & Babylonia acceperat, urbes duas natura pariter atque opere munitissimas, Neerdam & Nisibin, habuêre, in quibus, tanquam in ærario quodam, siti omnes thesauri erant, quos in Palæstinam identidem, cum tempus esset, infinita hominum multitudo devehebat, ne formidandæ Parthorum rapinæ forent. Et fuit tunc profectò in summum culmen evecta Ierosolymitanorum opulentia, cum ad eos tanta vis auri à popularibus mitteretur, qui variis locis sparsi sedes incolebant disiunctissimas. Quãquam & antea mirum in modum amplæ eorundem divitię erant, antequam Israëliticæ decem tribus per discordias civiles secessionem à Iudæis fecissent. Davidem quidem gazas incredibiles possedisse constat, nemo ut regum

[1] *In lib. 16. Antiq. cap. 10.*

gum Hebræorum, exterorumve conferri cum illo potuerit. Quare etiam sepulchrum ejus, ossaque, & cineres filius superstes circumfluere opibus voluit, quæ in cellulis pluribus erant reconditæ. Earum autem quæ summa fuerit, facile divinabit, qui cogitaverit, Hyrcanum post mille & trecentos annos, cum ab Antiocho Pio esset obsessus, conditorium illud adiisse, atque ex illo ter millena talenta exemisse. ac rursus, multo tempore interjecto, Herodem, cum alias cellulas recluderet, reperisse illîc quantum satis erat maximis impensis faciundis. Iusserat haud dubiè divitias eas summus rex recondi illîc secum, ut velut inaccessæ, & loci religione tutæ essent. Hac enim causa permotos etiam alios sæpe fuisse, idem ut facerent, proditum memoriæ est. & Darius verò risum, jocumque omnibus excitauit, cum Semiramidis monumentum intraret, cujus inscriptio ingentes thesauros promittebat, cum nihil intus, nisi tabella esset, quæ homini sacrilego malam rem precabatur, propterea quòd mortuorum loculos temeravisset execrando scelere. Sed enimverò de opibus sacri populi dicebamus, quæ ante tribuum asportationem Ierosolymæ erant. Eæ autem,

autem, quum Davidis tempore admodum ingentes essent, longè majores tamen sub Salomone, qui huic successit, fuerunt. Advexit enim ei tertius quisque annus quæ in Oriente pretiosissima erant. & principum, qui prope habitabant, liberalitas potentiam augebat sapientissimi regis. Quare Flavius Iosephus rotundo ore illud effatur, quod sæpe mirati fuimus, ὅτι τοῦ ἀργυρίου τοσοῦτον ἐποίησε πλῆθος ἐν Ἱεροσολύμοις ὁ βασιλεὺς, ὅσον ἦν καὶ λίθων. *effecisse regem, uti tantum pecuniæ in urbe Ierosolyma esset, quantum erat lapidum.* Quæ profectò ejusmodi sunt, ut jam venisse ad summum fortunæ rex ille videretur. Non sinit nos incepti lex pluribus hæc exequi. Redeundum enim ad illos Iudæos est, quos sub exteris regibus vixisse diximus. Horum porrò non unum genus fuit, neque de omnibus similiter existimandum est. Nam Babylonienses quidem nihil præter jus fasque fecêre, cum extra terram sanctam habitarent. idque singulare privilegium fuit. de quo antè diximus. At verò qui ante transportationem gentis Iudaicæ, aut post eam Palæstinorum sedes reliquêre, ut alias terras, quæ in vicino erant, incolerent, eorum infamia posteris

tra-

tradita est, judicatumque ab omnibus fuit, esse eos terræ sanctæ contemptores. Recitant Talmudici severissima numinis edicta, queis cautum fuit, ne Iudæus quispiam migrandi libidine patrium solum verteret. Estque eorum scitum quoddam hujusmodi, כל הדר בחוצה לארץ כאילו עובד עכומ׳ *Qui peregre extra terram sanctam degit, velut syderum planetarumque cultor habendus est.* Atque ejus rei fidem faciunt ex dicto Davidis ad Saulem, quod ita relatum â Samuele est: *Si te homines incitaverunt contra me, maledicti sint coram Iehova. quippe expellunt me hodie, ne pars mihi sit in ea terra, quæ hæreditas Iehovæ est, dicuntque, Abi, cole deos alienos.* Vna modò causa fuit, quæ migrantes gravi culpa liberaret. Ea autem vis major erat: cujusmodi est fames, sterilitasque, atque alia id genus, quæ in iram numinis, velut ultima malorum, vertunt. Non prætereundum est, quod in Halacha Melachim, in capite quinto, eruditissimus Maimonides prodit. Etenim postquam quosdam hujusmodi atroces casus exposuit, ob quos Iudæis fas interdum fuerit domicilia in exteris regnis ponere, solam Aegyptum excipit, quam ne quis habitandi animo adiret, tribus interdictis vetitum esse à nu-

à numine ait. Nulla neceſſitas, neque occaſio aut cauſa ulla excuſare quenquam potuit. Supervacuum foret teſtimonia recitare. penes autorem fides eſto. Rationem quidem ipſe adfert, quæ in promptu maximè fuit, מפני שמעשיה מקולקלים יותר מכל הארצות *quoniam facta ejus gentis deteriora, quàm aliarum gentium, ſunt.* Addit Rabbi Maimonides, quod ſingulare eſt, שאלכסנדריאה בכלל האיסור *etiam Alexandriam ſumma interdicti eſſe comprehenſam.* Enimverò quoniam Aegyptienſium Iudæorum nobiliſſimi florentiſſimique erant, qui Alexandriam incolebant, meritò hos quoque in ordinem cum cæteris cogit eruditiſſimus ſcriptor. pariter enim contra legis præſcriptum fecerant. Hi autem illi ſunt, quos Alexandri humanitas volentes & ſponte procul ab Hieroſolymâ abduxit, & cum parte Macedonum in ea urbe locavit, quam de nomine ſuo condebat rex ille. Mox etiam ingens turba illuc per Syriæ motus exundavit. ac tandem non pauciores Ptolemæum Lagi filium comitati ſunt, inter quos ſummus quoque Pontifex Ezechias fuit. Ita per omnem Aegyptum latè ſedes ſuas poſuêre. Venerunt quidem illi Hieroſolymam quotannis, aut

mittebant eò quosdam ad solennia festa: sed in contemptu apud Palæstinos erant, & desertores habiti sunt. Vtique donaria, quæ in usum templi & sacrorum afferebant, magna ac pene immensa erant. Sed tamen efficere ea res non potuit, uti communes cum illis habere synagogas cæteri vellent. Auxit odii causas patriæ *linguæ* neglectus, quam plerique *ne intelligebant* quidem. Quare *Hellenistæ* dicti sunt, tam qui Aegyptum incolebant, quàm qui ab illis profecti, Græciam & vicina tenuêre. quippe propagati ab Aegyptiis fermè cæteri erant. Horum nihil dici de Babylonienſibus potest, quos Palæstini, tanquam fratres germanos, atque ut incorruptam majorum suorum sobolem summo in honore habuerunt. Quanquam tamen illud hercle omnino in omnibus Judæis, qui extra Palæstinam habitarunt, peræque laudandum est, quod patria instituta religiosissimè semper servaverunt inter prophanas gentes. Non enim Babylonienſium propria hæc gloria est, sed communis ea etiam illis fuit, qui Aegyptum jam tum ab Alexandri temporibus incoluêre. Et mox verò ii ipsi, qui per Romanum orbem variis locis sub Cæsarum imperio vivebant,

vebant, in quadam accurata obſervatione earum legum, quas divinus Moſes præſcripſerat, perſtiterunt. Quod profectò haud difficile illis fuit, quoniam benigne, leniterque, atque honorifice habiti ab iis ſunt, quorum recepti ſedibus fuerunt. Cæterum poſt templi urbiſque everſionem deterior longè conditio eorum apud exteros fuit, & privilegia eorum ubique multifariam imminuta ſunt. Vtique conſtitutiones imperatoriæ *in iis ſolis ſine moleſtia eos eſſe juſſere, per quæ cultus eorum inquinari videretur. l.* 15. §. 6. *ff. de Excuſat.* Cautum verò fuit, ne ſynagogas novas extruere, aut cruces in celebri feſto Purim exurere ad pœnæ quondam recordationem poſſent. *l. ult. C. de Iud. & Cæl. l.* 11. *C. eod.* Denique addita ſanctio quoque eſt, *ne morem ſuum in conjunctionibus retinerent, neve juxta legem ſuam nuptias ſortirentur, aut in diverſa ſub uno tempore conjugia convenirent. l.* 7. *C. eod.* Atque ex hoc poſtremo colligitur hercle, licuiſſe illis per legem antea plures ſimul fœminas in matrimonio habere. quod nos ſupra diximus, cum de Pontifice maximo ageremus, cui ſoli hoc interdictũ fuiſſe Talmudici ajunt, quod cæteris jura permittebant. Sanè

cum [1] Davidem regem summus Deus Nathanis voce affatur, esse illi datas à se ait Saulis conjuges. Et in Levitici capite xviii edictum numinis extat, quo Iudæi duas sorores eodem tempore habere uxores vetantur, non ob aliam causam profectò, quàm quòd ardentissima esse inter has æmulatio in tali conjunctione solet; cum cæteræ omnino, quæ ea consanguinitate non sunt, æquiore animo sub eodem marito ætatem unà agant. Scimus equidem primis humani generis parentibus jus planè contrarium fuisse latum, quod reduxit tandem, & ex integro nobis sanxit Deus Dominusque noster Messias: certum tamen est Iudæorum eam in republ. Mosaica libertatem ex legis permissu fuisse. Atque hunc quidem morem vetustissimum usitatissimumque Iudæi ii, qui nondum Messiæ reverentiam susceperant, diu sub principibus Romanis coluerunt: donec tandem Theodosius, Arcadiusque, & Honorius nihil discrepare hac re à Romanis eos voluerunt. qua tempestate etiam pleraque alia, quæ observata illis fuerant, exoleverunt. Ius quidem ipsum, quo deinceps

[1] *In lib. 2. Sam. cap. 12.*

inceps usi sunt, commune cum Romanis fuit: *adibantque solenni more judicia, cunctasque Romanis legibus conferebant & excipiebant actiones, in his causis, quæ tam ad superstitionem eorum, quàm ad forum & leges ac jura pertinerent. l. 8. C. de Iud. & Cæl.* Quare obruta tunc sepultaque eorum libertas fuit, vix ut umbra ejus supereslet. Nam quod *communi pactione ad similitudinem arbitrorum litigare apud populares suos, & sortiri eorum judicium jure publico poterant, d. l. 8. C. eod.* sanè id oppidò exile est. quippe & *in civili duntaxat negotio* factum id fuit, & eorum sententiam judices quidem, sed Romani, exequebantur. *d. l. 8.* In ipsis tamen avitis sedibus illorum paulo plus privilegii fuisse illis concessum videtur. Etenim *in l. 17. C. eod.* imperatores Theodosius & Valentinianus quosdam Iudæorum primates fuisse significant, *qui in utriusque Palestinæ synedriis dominabantur.* Sed eorum potestatem jurisdictionemque pene in rebus nihili fuisse sitam arbitramur.

Caput XXIV.

De lege, quam Iudæis Moses scripsit. Opinio veterum quorundam de sabbato confutata. De anne Sabbatico quæ

Plinius, Rabbi Maimon, & Flavius Iosephus retulere, excussa. Cur magis suibus, quam cæteris animantibus abstineant Iudæi? Plutarchi rationes rejectæ. De Ægyptiorum morbus. Iudæos non fuisse Bacchi cultores, contra quam Plutarchus & alii Romani scriptores senserunt.

INter sacræ gentis præcipua honestamenta, Lex fuit, quæ à Mose scripta cunctarum gentium institutis legibusque major, certeque dignior est, quia Deum autorem habet. Ea autem quinque libros implet. est enim multiplex, & copiosa, ac sæpe repetita. Summa tamen ejus decem comprehensa capitibus est: quorum pars prior ad res divinas pertinet: posterior continet ea, quæ Marcus Tullius appellat hominum munia & officia. Omnis, qui numini exhibetur, honos aut sensu aut cultu constat. Sensus est reverens & recta de Deo existimatio. de qua re plura dicere supervacaneum est, quoniam ea nunc spectamus maxime, quæ sunt historiæ affinia. Cultus est in cæremoniis ritibusque positus. Cæremoniarum unus in decalogo & simplex præcipitur modus, sabbati solennitas, quæ à primo mundi ortu instituta, & à san-

à sanctis hominibus observata semper, noviſſime tandem, cum Lex ferebatur, sancita ex integro est. Causam sabbati veram expressit numinis vox in formula decalogi. Sed Iudæi rationem hujus rei mysticam petunt ex illo celebri dicto Rabbi Eliæ, quod extat in libris Talmudicis. Ille enim tribus illustribus periodis, quæ æquali spatio inter sese distarent, mundi tempora distinxit, ita ut expletis sex annorum millibus nova rerum facies, novusque ordo surgeret, & fessa jam pridem gens hominum, melioribus deinceps auspiciis capesseret beatam quandam quietem. Cornelius Tacitus Sabbati originem aliunde eruit. Saturno enim eum honorem ab Hebræis haberi existimat: *seu principia religionis*, inquit, *tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulsos, & conditores gentis accepimus: seu, quod è septem syderibus, queis mortales reguntur, altissimo orbe, & præcipua potentia stella Saturni fertur: ac pleraque cœlestium vim suam & cursum septimos per numeros conficiant.* Neque hæc vero unus Tacitus dixit. Rabbi Aben Ezra recitat sapientis cujusdam argutias, qui novem Legis capita totidem cœlestibus orbibus ex adverso locat; &, ne septimo die otium existimetur sine

causa indictum, maligna ait esse Saturni & Martis sydera. quo enim die illa dominatum tenent, infeliciter cuncta tentari. Ego istum magistrum, quisquis fuit, inter discipulorum cathedras plorare jubeo. Nimium ingeniosus fuit, ubi nihil opus erat. At nos minorum gentium homunciones sumus, & ad obvia confugimus. Sabbatorum recta observatio posita fuit in dictorum omnium factorumque sanctitate, atque in cultu divino, precibusque. Rabbi Aben Ezra author est, tunc etiam oracula fuisse consulta. Sunamitidi quidem ait maritus, de Elisæo loquens, *Quid est, cur eum hodie adeas, cum nec calendæ sint, nec sabbatum?* Cæterum, ne rebus divinis profanæ miscerentur, cuncti eo die omittere sueta opera jubebantur. qui aliter fecisset, capital admittebat. Enimvero id docebatur populus, haud esse in transcursu sacris operandum. Totam sese mens in contemplatione ponat necesse est, cum Deum, mentem purissimam, colit. Hoc nec Pythagoras, nec Numa ignoravit. & recte olim in Romanorum sacris à præcone solennibus verbis clamatum est, *Hoc age.* At Iudæi, quorum mos est omnia sanctissima instituta pervertere, multa ad Legis edictum adjecere, de

de quibus Moſes nihil diffinivit. Itaque ſacratiſſimæ diei celebratio in anxiam ſuperſtitionem abiit, & interdum illis exitio fuit. Pergendum nunc ultra eſt. Sabbati ſacrum otium videtur ipſa natura, optima rerum mater, approbaviſſe, ſi fidem Plinio habemus, qui in Iudæa rivum quendam ait ſabbatis omnibus ſiccari. Sed ignoſcat nobis Plinius. Nunquam hoc credere potui.

——*Sum paulo infirmior, unus*
Multorum.——

Quid tamen Romanum ſcriptorem deceperit, expediam. Iudæi jam olim ſomniarunt, reliquas decem tribus Iſraelitarum captivas detineri prope fluvium, quem ipſi Sambationem appellitant. Hunc per totam ſeptimanam adeo rapidis vorticibus ferri ajunt, nemo ut tranſire poſſit: at ſabbatis quieſcere, & pedibus pervium eſſe: hancque pœnam Iſraelitis eſſe poſitam, ut, quo tempore undarum impetus conſtitit, ſabbati eos veneratio inhibeat, & movere vetet pedem. Ita ad libertatem via illis ante oculos poſita eſt, ſed uti pejus crucientur. vident enim eam, & viſa ac relicta, intabeſcunt. Non potuit magis traducere ſe Plinius, quam cum tam futile Iudæorum commentum arripuit tam avide. Pictori-

bus poetisque quidlibet audendi potestatem esse, Flaccus dixit. Recte hercle. Sed Iudæos addi volo, qui non ex decoro, neque pudenter, sed sola animi libidine mentiuntur quæ dissona & ridicula sunt, hanc unam ob causam, ut mentiantur. Neque movet me, quod R. Moses Ben Maimon, quem merito laudibus in cœlo *locavimus*, fluvium hunc esse Gozan *ait*. *Nos* & illum delirasse asserimus, & una Iosephum quoque in ordinem redigimus, qui in libro VII ἁλώσεως, in cap. XIII, quædam contraria quidem supradictis sed tamen æque portentosa refert. Sane quidem Plinio non semel sic decipi ab aliis contigit. Pleraque enim, quæ in eodem capite memorat de fontibus, fluviisque, & de aquis, ejusdem levitatis sunt. Rerum incredibilium atque inusitatarum narrationem in Iulio Obsequente, non in Plinio, summo historiarum scriptore, toleramus. Raro solitum modum egreditur natura. Miracula creduntur facilius, quam fiunt. Sed enimvero tenet plerosque amabilis insania, & favet sibi atque plaudit imprudens temeritas. Aniles ineptias tradimus in vicem accipimusque, non incauti hercle, sed scientes, & inter seria. De sabbato diximus plus

quam

quam satis sit. Cætera persequi, quæ ad decalogum pertinent, non est patientiæ nostræ. Postquam leges duarum tabularum latæ fuerunt, in queis edictum inerat de sabbato, data est exhinc Mosi fusior earundem legum interpretatio : addiditque Deus cæremonias rituſque : & quibus victimis sacrisque, ac quo modo coli vellet, populo significavit. Cujus rei causa haud in obscuro est. Non sufficiebat simplex numinis cultus, qui decalogi sanctione jubebatur. Quippe facile se cuncti ad Aegyptiorum idola convertissent. Itaque planè opus fuit rebus multis externis, quæ sensus quoque eorum in recta religione detinerent. Sanè oppidò difficile est mortalibus, Deum invisibilem solo animo colere. Nisi aliquid sit, quod oculi usurpent, nimium hercle citò incautis obrepit non intellecta impietas. Quanquam profectò etiam tum antea, primo seculo, sacrorum extitisse quasdam sanctiones, cæremoniasque, certum est. Nam & animantium mundorum immundorumque discrimen divinitus didicerat Noachus : & idem ille vesci sanguine vetabatur minaci interdictione. Sed lex, quæ à Mose lata est, magis accuratè hæc cuncta suis finibus terminavit. Vtique

tique in capite undecimo Levitici, longa extat numeratio earum animantium, quarum esu tactuve polluerentur Hebræi. Multa illic in censu impurorum posita sunt, non naturæ aut rationis dictamine, sed incertâ numinis voluntate. Itaque causas earum *rerum* exquirere, anceps est; nec *ideò* assequare. Quis nostrum *tam arroganti* fiducia est, uti se posse *ea explicare omnia* existimet, quæ posita vel in ipsorum hominum institutis sunt? Olim Lacedæmonum legibus vetabantur Ephori statim, ut magistratum inierant, barbæ alas pascere. & Solonis sanctio eum, qui seditionem & motus civicos quietus spectavisset, ignominia notabat. Non dubitat Plutarchus, quin utrumque optimo consilio factum ab illis sit; sed tamen, *mens*, inquit, *authorum ignoratur*. Et nos igitur idem in his contingere putemus, quæ summus legislator Deus *jussit*. Doceat me quispiam, cur edicto numinis impuræ sint quadrupedes, quarum fissæ ungulæ non sunt? Nam cuniculos quidem leporesque inter cibos habere apud cunctas hercle nationes fas & jura sinunt. at solis Hebræis haud licitum est. Quoniam verò etiam de suibus in eodem Levitici capite extat

tat legis edictum, exspatiandum paulisper nobis est, quærendumque, cur hoc animal magis anxiè vitaverint semper Iudæi, quàm cætera omnia, quorum odium pariter fugamque lex indixit. Memoratu digna sunt, quæ Plutarchus adfert. Suem enim Iudæis haud sanè inter res execrabiles haberi, sed summo in honore apud eos esse autumat, quippe quam venerantur ut arationis magistram. Id eos primum in Ægypto didicisse ait. quippe illic agros nunquam aratro verti, sed, simulac Nilus post solitam exundationem in alveum se recepit, è vestigio sues ab incolis propelli in agros, ut uberem glebam rostro fodiant, & semina occulant terra. quare vomeré quoq; Græcis ὗν dici, origination optima. Et quid mirum, inquit, tam fœdum animal à superstitiosa gente coli, cum Ægyptii quoque felem, gryphem, crocodilum adorent? Denique, si abominantur, scire causam se negat, cur invisissimam bestiarum interficere nemo audeat. Nam magos quidem, quibus à Zoroastre origo est, nihil pulchrius sibi, nihil glorioſius ducere, quam si multos occiderint mures aquaticos, quos religione quadem ridicule cuncti edere. Hæc confutare non magnus est

labos.

labos. Quæcunque animantia *Ægyptii* coluere, ea tangere manibus nulla religio illos vetuit. Porrum & cæpe morsu frangere, nefas ingens erat. Et Flaccus joco se, tanquam de impia cæde, dixit;

——— *Si porrum & cæpe trucidas.*

Alius quispiam etiam *indignatur* & clamat,

O sanctæ gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Et tamen hos ipsos deos manibus suis è terra eximebant, recondebantque in cellis armariisque ad alios usus vitæ necessarios. At Iudæi porcorum vel solo tactu polluebantur. Quod neutiquam ita esset, si superstitionis causa fuisset ex cultu & veneratione. Hinc porro, cum attingere haud dignarentur, etiam occidere nolebant. *Itaque* de nihilo est, quidquid ait Plutarchus. Neq; pluris æstimari debet, quod Petronius venustissimo epigrammate lusit,

Iudæus, licet & porcinum numen adoret,
Et cæli summas advocet auriculas, &c.

Sunt hæc ex communi Romanorum errore, in quorum animis hæc opinio insederat. Simul & nos sententiam mu-

mutamus, qui Petronii verba sic emendanda censuimus quondam,

——*Et porcinum nomen abhorret.*

Male divinavimus. Quod si tamen ita dixisset, tum vero demum recte dixisset. nunc, quia aliter dixit, hariolatus est. Sed libet nobis, potius erravisse Petronium, quam nos feliciter conjecisse. Enimvero optima ratione tunc permoti, eam comminiscebamur emendationem, quam nunc spernimus. Ita enim res habet. Iudæi ipsum nomen hujus animantis inter res scævas & mali ominis numerant. Quoties enim loquuntur de illo, non nominant illud, sed recepto quodam more, uti malam scævam avertant, patrio sermone דבר אחר ajunt. Romani id feliciter exprimere nequeunt. Nam si dixeris, *Res alia*, verbum quidem verbo reddes; sed sensum dicti non assequeris. At Græce esset, πρᾶγμα ἀλλόκοτον, sane perquam significanter. Cæterum, ob eandem causam etiam in festo paschatis solicite cavent, ne vocem לחם *panis*, inter loquendum usurpent. Ita enim existimant, piaculum immane eum admisisse, qui per eos dies in causa fuerit, uti alter quisquam de fermento vel leviter cogitet. Sed quid cessamus causam adferre, cur præ

cæteris

cæteris animantibus hoc unum fu-
giant Iudæi? Fuit olim populus Israë-
liticus mire obnoxius iis morbis, qui
Syros ut plurimum atque Ægyptios
infestabant. Vitiligines enim, psoras-
que, & tetra ulcera jam olim illis gen-
tibus, velut proprias pestes, adscripse-
re summi medicorum. Hos autem, &
similes pene morbos uno nomine
complexus Moses est, & lepram voca-
vit. Porro in suibus scabies & immun-
dities, non vitium, sed natura est.
Quare ne ad corporum pravam affe-
ctionem contagio quoque accederet,
aliqua ex esu contactuve, paulo super-
stitiosius aversati suem sunt, quam aut
lex numinis fortasse jusserat, aut posi-
tum in gentiũ aliarum institutis erat.
Quanquam, qui potuit nimis cauta
eorum hominum videri formido, si-
quidem nullum vitium æque, ut le-
pram, execrata lex sit? Referuntur in
Levitico severa Dei edicta de lepra non
hominum modo, sed vestium quoque
& domorum. Cujusmodi autem id
vitium in rebus fuerit inanimatis, Syri
fortasse & Aegyptii tunc intellexe-
runt. nos hercle ignoramus. Et Plu-
tarchus quidem, postquam multa su-
per Iudæorum superstitione conjecta-
vit, diversissima pleraque, & quædam
contra-

contraria, in hoc uno hallucinatus non est, quod postremo de lepra diximus ex illius sententia. Cætera, quæ de Baccho, qui fuerit idem cum Adonide, tum quæ de interfectore ejus apro addidit, non sunt nauci. Quemadmodum & illud spernimus, quod Hebræorum sacris mysteriisque coli ipsum illum Bacchum, temulentissimum numen, existimet. Nam & per festos quosdam dies, inquit, sub tabernaculis desident, eaque palmitibus atque ederis inumbrant: & est tempus, cum ramos ac thyrsos gestant. Accedit tubarum clangor, inquit: & sabbati celebritas, quę post septimum quemque diem redit, appellationem à Liberi sacris habet. Sabi enim vox in orgiis passim auditur. Tum & sabbatis bibunt largiter. & Pontifex maximus festis diebus cum mitra cothurnisque, & hinnuli pelle, ac veste ad talos demissa incedit, pendentque in ora tunicæ tintinnabula. in sacrificiis quoque æra pulsantur, & mellis usus in illis nullus est. cumque multa pœnarum genera apud illos sint, hæc maxime probrosa censetur, cum interdicitur damnatis vino. Hæc non unius Plutarchi, sed aliorum quoque fuit sententia, quam improbavit tamen Cor-

nelius Tacitus. Nos eam summatim retulimus, non quo confutaremus operose singula, sed uti palam esset, quàm ingenioſe pagani Iudaicam traduxerint religionem. Alia enim ex illis omnino falsa sunt. quędam vera, sed in deterrimam partem accepta ab homine sanè eruditissimo, sed qui causas ignoravit primi cujusque instituti. Cur enim aut tabernaculorum festum jusserit celebrari Deus, aut mel & ceram arcuerit à sacris suis, aut κώδωνας & ῥοΐσκους [1], esse in Pontificis fimbriis voluerit, justa ratio fuit, quam Græcus scriptor quæsivit fortasse, sed assecutus non est. Nam quod sabbatis potant Iudæi, atque helluantur, vitium ipsorum est, qui labente seculo rem sanctissimam infamavere. atque id crebro in sacris voluminibus illi genti exprobrant divini vates. Non potuit Iudæos magis invisos cunctis facere Plutarchus, quàm cum edita in vulgus hæc opinio est, esse eos Bacchi cultores. Apud Titum Livium, cum senatus decrevisset quæstionem de Bacchi sacris, Marcus Cato, vir gravissimus, cui ea res extra ordinem mandata erat, ad popu-

[1] Id est, *tintinnabula, & corymbos aureos, qui Punicis malis similes erant.*

populum in hæc verba loquitur: *Nunquam tantum malum in republica fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens. Quidquid his annis libidine, quidquid fraude, quidquid scelere peccatum est, ex illo uno sacrario scitote ortum esse.*

Flavius Iosephus in apolog. adversus Apionem, de Græcis historicis, qui res aliarum gentium scripserunt:

Αἴτιον αὐτοῖς τοῦ μὲν μὴ γινώσκειν τἀληθὲς, τὸ λίαν ἀνεπίμικτον· τοῦ δὲ γράφειν ψευδῆ, τὸ βούλεσθαι δοκεῖν τι πλέον τῶν ἄλλων ἱστορεῖν.

PROLEGOMENA in Lib. III.

Amplissimo viro

FRANCONI DUYCKIO

Consuli Leidensi primario

P. Cunæus S. D.

Memini ego, vir amplissime, qua tempestate animum meum ad graviora quædam disciplinarum studia adiicerem, in primis illud mihi propositum fuisse, uti in evolvendis omnis ævi scriptoribus nihil æque sectarer, quam documenta quædam illustria earum rerum, quæ ad civilem doctrinam pertinerent. Existimabam enim profecto, id quod res est, pulcherrimis eos curis, cogitationibusque fatigari, qui rerumpublicarum incrementa conversionesque, & imperiorum præcipites casus, ex historiarum monumentis eruerent, ut inde sibi quisque, suæque civitati quod imitandum esset, caperet, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vitaret. Quare jam pridem antea in Suetonii Tranquilli, atque in Caii Cornelii

Taciti

Taciti quibusdam libris lustrandis ita operam posuimus, ut in rerum Romanarum pervestigatione pleraque etiam attingeremus, quæ in universum omnibus civitatibus atque rebuspublicis convenirent. Quæ ubi editioni quondam matura erunt, ad te judicem, atque ad eos, qui tui similes sunt, hoc est, ad homines eruditos, prudentesque, & rerum gnaros, pertinebunt. At in his de republica Hebræa, quos nunc edimus, libris, haud idem fecimus. Duntaxat enim de sacro populo diximus. cæteræ gentes quam recte constitutas respublicas aut secus habuerint, quibusve legibus eas aut institutis rexerint, haud traditum hic à nobis est, propterea, quod divina Mosis politia exemplo caret, atque omnino incomparabilis est. Sane quidem cæterorum legislatorum, quos tantopere admirata omnis vetustas est; sanctiones multæ Mosaicis similes fuere. permagna enim civibus virtutis, fortitudinisque exercendæ imposita necessitas ab illis fuit. sed, quæ de sacris, deque cultu divino constituta ab illis sunt, haud ita penitus animos mortalium religione obstrinxerunt. Moses enim utique Deum unum atque æternum, rerum potentem, cogitationum humanarum, consiliorumque omnium arbitrum, atque judicem, nullius satu editum, immutabilem, atque oculis inaccessum tradidit, cu-

jus formam nulla ars neque opificis exprimere manus poßit. Ita, cum vitam hominum, divino numine invisi docuisset, plane omnibus, id quod res est, persuasit, nullius bonum malumve facinus pro nihilo haberi. omninoque effectum est, ut jam non famam, aut aliorum conscientiam, sed se quisque testem formidaret. At de cæteris vero, qui vivendi præcepta atque leges olim gentibus dictavere, ita sentit Flavius, haud nescivisse quidem eos purum illud unicumque, & verum numen, sed tamen apud populum superstitione & præjudicatis opinionibus corruptum, omnino eos hanc rem dißimulasse, ὅτι τὴν ἀλήθειαν τοῦ δόγματος ἐξενεγκεῖν οὐκ ἐτόλμησαν. propterea quod veritatem dogmatis proferre non audebant. *Ipse Plato apud eundem Flavium fatetur, esse isthæc arcana quædam, quæ in vulgus edere periculosum sit. Quod profecto longe secus est. Nulla enim res Mosaicam rempubl. æque continuit, quam religionum illa doctrina, quæ nullis fabulis, aut ineptiarum pigmentis incrustata, multo altius in Hebræorum pectora, quam quisquam Græculus ratus esset, descendit. Propositum nobis fuerat, legum Mosaicarum vim, sententiamque, atque etiam causas ex abdito eruere, atque omnia ea, quæ hujus generis essent, cum institutis & sanctio-*

sanctionibus aliarum nationum conferre. sed conantes nos talia atque meditantes magnitudo operis tardavit, ut hoc, quod diximus, perducere ad exitum nondum potuerimus. Non tamen semper suspensam expectationem eorum tenebimus, qui sæpe id à nobis serio efflagitarunt. Etenim profecto, quoniam per otium subinde, & succisivo tempore commentarios adornamus in universa opera FLAVII IOSEPHI, qui scriptor luculenter in libro IV Antiquitatum, & rursus in secunda Apologia adversus Apionem, totam eam rem pertractavit, neutiquam nobis illic deesse hujusmodi dissertationum poterit occasio. Nos, summe DUYCKI, quemadmodum illud argumentum, ubi excultum à nobis erit, fore multis non inutile speramus, ita plane confidimus, hæc, quæ nunc edimus, ejusmodi esse, ut præteriri à nobis non potuisse videantur. Pleraque enim ne attigerunt quidem ii, quibus hoc ævo de republica veterum Hebræorum aliquid scribere cura fuit. Interdum vero etiam commentationis materiem nobis dedit error aliorum & hallucinatio. omninoque necesse nobis fuit confutare quosdam, quos pridem eruditio sua, & consentiens hominum existimatio in excelso collocavit. Quod tamen ipsum semper invitì facimus, pene ut nosmetipsos nostri pudeat.

Proditum à Caio Cæsare est, eos, quibus inter officia antelucana obvius fuisset Marcus Cato, cum caput ebrii retexissent, erubuisse, planeque esse ita existimatum, non ab illis Catonem, sed illos à Catone deprehensos. Idem nobis hic evenire confitemur. non enim honori eorum quidquam detraximus, sed ipsi nostræ modestiæ vim fecimus, atque ita illos reprehendimus, ut laudemus. Vtinam vero adversus nos eadem æquitate utantur, qui fortassis animadversiones nostras olim ruspabunt. bene profecto cum nobis atque præclare actum esse existimabimus. Non sumus tam superbæ impotentisque arrogantiæ, ut in tanta communis naturæ imbecillitate solos nos supereſſe existimemus, quibus interdum opus venia non sit. Hallucinamur omnes, alii gravia, alii leviora. nec est quisquam, qui tam bene animum suum disciplinis obfirmavit, ut nihil fugere eum possit amplius, aut fallere. Adde quod interdum vitii loco est, nusquam peccavisse. quod de Apollonio Rhodio Dionysius Longinus pronuntiavit, cum significare vellet artem & diligentiam in eo summam fuisse, at ingenii vim negatam illi esse. Spernit anxiam curam animus, simul ac illum implevit rei majestas. Miserum est ferme & jejunum, quicquid ab illis speratur, qui sese intra limites quosdam & præscripta

spatia

spatia claudunt: qui sensa sua torquent, & de singulis rebus in consilium eunt: quorum hic exitus est, ut, quum toto anno, per omnes dies, magno molimine unum librum extuderint, vitavisse potius reprehensionem, quam meruisse laudem videantur. Quare idem ille acerrimi vir judicii Longinus maximos homines ab omni avo, cum luculentissima quaque dicerent scriberentque, errores interdum in minimis usque adeo non effugisse ait, uti in quosdam etiam sponte delati sint. Nimis angusta res est, non errare. quod cui contigit, is solicite quidem cuncta ad normam exegit, sed tamen extra culpam duntaxat est. At vero, qui per generosos lapsus omnia soluto impetu pervadit, hic & hominem esse se, cadendo docet, &, quia nihil mediocre concupiscit, proximus tenenti summa est. Est aliqua laus, magnis excidisse ausubus. Sed nos nunc profecto nihil tam grande agitamus. Fuit tamen ex hac scriptione nobis perquam suavis voluptas. Recolebamus enim ea studia, quibus in adolescentia quondam mire dediti fuimus. Iuvabat identidem cogitare, quantopere animum nostrum delectavisset Hebraismus, cum Biblica volumina, Rabbinorum commentarios, atque alia multa, quæ erudite à Iudæis scripta sunt, evolveremus. Cujus sane operæ nunquam nos pœnituit. Etsi

enim postea aliis curis in publico munere distringebamur, tamen quantum temporis tribuunt alii amicorum salutationibus, quantum aleæ, quantum cæteris otii oblectamentis, tantum egomet mihi ad eas artes celebrandas sumpsi, quarum fructus in omnem vitam videbatur utilissimus. Enimvero, cum sacri codicis lectio non Theologis modo, sed omnibus bonis viris, & præsertim eruditis, esse debebat jucundissima: quid aliud magis serio agendum nobis est, qui in hoc honesto otio vivimus, nisi ut quam optime nobis cognitus intellectusque sit is sermo, quo olim usus ipse Deus fuit, cum priscos Ecclesiæ rectores suo dignatus alloquio est? Dicendum aperte est. Valde supine atque oscitanter vivimus. Hispanorum, Gallorumque, & Italum verba atque voces discimus: &, postquam classes nostræ alium orbem petivere, etiam cum Indis loquimur barbare. Tam ingenioси cum simus, unam illam non intelligimus linguam, quam profecto unam didicisse, operæ erat pretium. Quod si qui sint, qui animum suum ad pulcherrimum hoc applicant studium, admodum id sit plerumque perfunctorie. Major enim pars ad fores Hebraismi accedit. quod facillimum est. interiora autem sacraria, Syriasmum atque Rabbinismum, ne voto quidem penetrant. Atqui in Hebraismo, quot

&

& quanti sint thesauri, non est eorum judicare, qui sola verba contextus Biblici scire contenti, satis sese doctos putant, uti etiam alios docere velint. Errant illi, meo quidem animo. Pergendum ultra est, dispiciendumque quid Iudæi, vernaculi Bibliorum interpretes, jam olim aut recte, aut secus dixerint. Hoc qui facit, ei jus fasque est de iis rebus libere dissertare, quarum notitia non aliunde erui, nisi ex sacro codice potest. Neque enim profecto putandum est, ad isthæc transcendere illicitum esse iis, quos suus ordo locusque in aliis quoque muniis detinet. Ignorare mihi divinam animorum suorum præstantiam videntur, qui ad unius rei misellam scientiam velut adstricti alligatique, ultra hanc aliquid tentare, haud esse hominis putant. Omnia erectæ menti pervia sunt. semper sese versat illa, concutitque, & quietis impatiens est. quidquid pulchrum, & grande, ac scitu dignum videt, id omne esse suum scit: &, quæ sibi imperat, pleraque obtinet. Atque hoc quidem etsi ita est, versantur tamen nihilo minus adhuc ante oculos nostros irritati animi eorum, quibus nondum satis sic expiavisse atrocissimi facinoris invidiam videbimur. Rem enim indignam, atque intolerandam clamabunt, invadi à nobis Theologiæ fines, quos esse sibi solis ita relictos autumant, ut

domina-

dominatum ibi quendam, & plenam iurisdictionem teneant. Sed ii homines, quoniam sunt oppido pauci, sed iniquissimi, non aliud responsum à nobis ferent, quam quod ex ipso sacro codice maxime nobis in promptu nunc est, incedere publice per hominum ora rerum dominam, divinam sapientiam, atque in triviis, & in compitis etiam adstare, omnino uti ad se invitet non flamines hercle duntaxat, sacerdotesque, & sacrorum antistites, sed plebem quoque, & pullatam turbam. Neminem illa aversatur, neminem à limine suo arcet, qui bonam spem non ejuravit. Quare exurgat quisque, & animos sumat, ac se quoque dignum fingat Deo. Non tam praeclare hodie rem gerunt quidam sacra sapientia consulti, ut ex eorum ore atque verbis penitus pendere debeat is, qui recta conscientia fiducia, atque morum & vitae sanctitate integrum incorruptumque civem se praestare summo numini cupiat. Nos, cum certamina eorum, contentionesque plus quam theologicas cernimus, piis votis precibusque causam publicam juvamus, &, quod unum nobis jucundissimum est, procul ab insaniente multitudine nobiscum soli sumus, atque inter civilis doctrinae & jurisprudentiae curas, etiam per otium subinde theologiam quandam tractamus, non illam parti alicui aut magistro

gistro obnoxiam, sed hanc liberam, & sobriam, frugalemque, quæ literulis nostris Græcis, Hebræisque, & Latinis subnixa æstuantiam aliorum, & litigandi intemperiem contemnit. Reperies quidem in hoc tertio libro, Amplissime DUYCKI, quæstiones quasdam de Melchisedeco, & Cabala, de fide veterum Hebræorum, tum alias id genus plures, quas paulò secus, quàm vulgò fieri solet, expedivimus: sed eas cum perleges, memineris, obsecro, esse nos paratos, simulac monuerit quis meliora, sententiam mutare. Pertinaciam enim pro opinione induere, haud est nostrum. Ipsi nos, si quando errores quosdam nostros odorati fuerimus, sponte hanc gratiam à nobis inibimus, & primi eos indicabimus, ne quis forte studio nostri aut amore deceptus, vitia nostra cæcis oculis prætereat. Sed hujuscemodi lectores, opinor, admodum paucos nanciscemur. Plures enim ea, quæ neutiquam reprehensione digna sunt, insectabuntur. aut, si nihil incusent, frigide tamen de illis judicabunt hercle. Quorum quidem hominum fastidiosam querimoniam expugnare nos non laborabimus. Magna enim esse eloquentia debet, quæ invitis placeat. Cæterum longe maxima pars eorum erit, qui hæc ne inspicient quidem, propterea quod insita quadam animi vesania grande dedecus existi-

existimabunt, aliquid in Hebraismo à nobis didicisse. Non sum falsus vates. Omnia hæc ita, uti dixi, evenient. Sed profecto quicquid hujus erit, nihil morabor. Neque ideo à recto bonoque recedam. Ex judiciis quorumlibet lætitiæ doloriſve causas capere, id vero est, ambitioni sacramentum dixisse. quod nunquam nos fecimus. Apud Flaccum, argutißima mulierum, Arbuscula, cum explosa à multitudine in theatro esset, satis esse dixit, equites sibi plaudere. Idem ego aio, amplißime DUYCKI. Paucis lectoribus, sed eruditis, gaudeo. Inter eos autem tu es, cujus judicium acerrimis studiis, atque multa doctrina excultum, jure semper scio me feciſſe maximi. Sed nimis operose prafati sumus. Quare illud, quod propositum nobis est, ordiamur.

PETRI

PETRI CVNÆI
De Republica
HEBRÆORUM,
LIBER TERTIUS.

CAPVT I.

Initia Ecclesiæ, & incrementa, Satanæ stratagemata. Locus in 1. cap. Genes. explicatus de serpente. Quid sit caput libri. Error Hieronymi. Liber Enochi commentitius.

OMnis de gente Iudæorum commentatio posita duabus in rebus est. nam & de Republica eorum agendum est, quæ præ cæteris eximiũ quiddam habuit: & insuper investigari illud debet, qualis eorum fuerit Ecclesia. Etsi enim ambæ istæ esse sic conjunctæ videntur, uti pariter incedant, & divelli haud possint: est tamen earum magna diversitas, & inspicienda utriusque indoles seorsim est. Quare nos, qui priorem partem duobus libris ita pertractavimus, ut sæpe alteram hanc,

hanc, quod omnino sic necesse fuit, attingeremus; nunc, quod bene atque feliciter vertat, singulatim ea percurremus, quæ ad Ecclesiam pertinent. Sed hîc paulò magis ex alto arcessenda nobis sermonis initia erunt. Etenim, cum antea reipublicæ sacræ institutio relata à nobis ad Mosen authorem sit, nunc vetustiora etiam secula lustrare, atque hinc ad Mosaicum ævum, & ad ea, quæ insecuta sunt, tempora descendere decrevimus. Ac origines quidem ipsæ, proximaque originibus, quoniam simplicissimè in sacris libris traduntur, non præbebunt nobis materiem notabilium observationum. At mox, ubi ex illis evaserimus, res persequemur luculentiores. Divus Petrus, qui rectè olim à quibusdam signifer fuit appellatus Novi Testamenti, Ecclesiam ait esse regium sacerdotium quoddam, & genus hominum electum. Ipse Deus Mosi dixit, gentium se quidem omnium, terrarumque esse dominum: sed addit, paucos duntaxat quosdam esse, quos ex hominum communitate segregatos, velut thesaurum & peculium sepositi sibi: iisque regnum tribuit, sed sacerdotale. Hoc regnum sanctum & inviolabile atque æternum est. Maximis quibusque

que imperiis crescendi modum natura posuit. licet enim nulla vis extrinsecus lacessat, tamen fatorum lege omnia magna in se ruunt, & cedit oneri suo fortuna. Vnum hoc regnum, de quo in sacris voluminibus sermo est, tempore ipso in majus solidiusque procedit, & à senio suo capit vires. Ecclesiæ prima incunabula mundus vidit recens natus, cum in quatuor capitibus staret humanum genus. Confestim enim impurus genius, cui ex malis nostris jucunda voluptas est, Cainum à recta pietatis semita transvorsum egit in omne nefas. Itaque tunc Ecclesia orta est, cum improbos primum à piis sejungere, & suos sibi habere cœpit Deus. Gregem oppidò exiguum, hoc est, quatuor oves in tantâ mundi vastitate agebat magnus ille pastor. unâ ex his lupus hic abstulit. Ea fuit prima illius victoria de humana gente, quam gravi peccato lapsam antea erexerat jam Deus, ut ad salutem perduceret. Haud ita multo post evênit, ut sacra Deo facerent duo fratres. Quod dum fit, haud obscuris indiciis significavit Deus, esse sibi Caini munera ingrata. Cujus rei causa in promptu est. quippe in Caino indoles inerat pravi ingenii. puras autem Deus, non plenas aspicit

manus: & mens integra ac recta pulcherrimus numinis cultus est. *Cæterum* Flavius Iosephus, autor omni laude dignus, & cui post sacrorum voluminum scriptores prima esse debet fides, haud satis considerate hac de re verba facere mihi videtur. ait enim displicuisse Deo laboriosam operã, quam in colenda terra sumpserat *vir ille*. In quo profectò fugit eum *ratio*. *agrum* enim primus hominum sator Adamus verterat, jussu ipsius Dei; & patrem secutus filius erat optimo exemplo. Sed procul dubio Rabbinos secutus est, uti solet interdum. Enimverò Iosephus, etsi gravitate supra cunctos Iudæos eminet, tamen haud ubique à deliramentis abhorret popularium suorum. Id apparet vel ex frigido illo mysterio, quod latitare credidit in voce אחד quæ est Genes. cap. 1. Nam ratio, quam in alio scripto se editurum ait, cur Moses *unum diem*, non *primum*, dixerit, Rabbinica fuit. Extat liber Iudaicus, quem מכלל יופי appellant. In eo sententia hæc Rabbi Mosis Ben Ezræ refertur, אמר אחד לפי שהאחד הוא סימן להתחלה אשר אין תחלה קודמת לה *Dixit, Vnus, quia unus est nota principii, ante quod principium est nullum.* Aut hoc profectò, aut simile quiddam Iosephus prodidisset in libro

libro αὐτολογιῶν, qui non est nunc in manibus hominum. Periisse quidem eum, etiam illius interest, qui scripsit. Quid enim aliud, nisi autorem suum traduxissent tam putidæ argutiæ? Sed redeat ad Adamum, unde digressa est, oratio. Is, inter hæc initia, filium vidit suum indignâ peremptum cæde à quo minimè decuit: &, dum unius lueret mortem, magis tamen alterius tristatus scelere est. Hic ego existimo, prope fuisse, uti Satanæ dolis rursus apertum latus daret, rueretque. Sed firmavit eum vis major. Plus enim fuit, quod sperabat, quàm quod videbat. Vetus opinio est, eaque omnium eruditorum firmata consensu, Messiam humani generis servatorem promitti primis parentibus nostris, cum circumscriptorem colubrum in hunc modum alloquitur Deus, in capite tertio Geneseos, *Inimicitas seram inter te, interque mulierem: inter semen tuum, & illius. ipsum semen ejus conteret tibi caput, & tu conteres ejus calcaneum.* Vtique hoc verissimum est. Concepit animo Adamus spem cœlestis atque æternæ vitæ. Quoniam tamen rationem rerum cunctarum esse dominam cupimus, sæpe mirati sumus, hoc ab illis, quorum scripta quidem vidimus, ma-

gis affirmari pro certo, quàm ostendi. Quare visum nobis est ejusmodi testimonium quærere, quod esset inexpugnabile. Enimverò ad veritatis plenam fidem haud satis est concors judicium, & opinio multorum. Nulla mysteria ex verbis contextus Biblici eruenda sunt, nisi quæ alibi spiritus Messiæ, optimus sui interpres, digito monstrat. Clausus enim, obsignatusque est sacræ Scripturæ liber, cujus signacula solvit leo ille ex tribu Iudæ. Ac nobis quidem de tota re seriò cogitantibus occurrebat illustris locus, qui est in Apocalypsi Divi Ioannis. is est istiusmodi. γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα, ἔκραζεν ὠδίνουσα καὶ βασανιζομένη τεκεῖν· καὶ ἔτεκεν υἱὸν ἄρσενα, ὃς μέλλει ποιμαίνειν πάντα τὰ ἔθνη ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. *mulier pregnans clamabat parturiens, & cruciabatur uti pareret. peperit autem filium masculum, qui reget omnes gentes virga ferrea.* Ecce Ecclesia, & Messias. His dein draco insidiatur, de quo subiicit Apostolus: καὶ ἐβλήθη ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλούμενος Διάβολος καὶ ὁ σατανᾶς, ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην, ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν. *Et projectus est draco ille magnus, serpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit totum terrarum orbem:*

brem: projectus, inquam, est in terram. Vetus serpens ille, idem est, cujus verticem soboles mulieris frangit. Quidquid alii dixerint, nullum præterea idoneum autorem, me judice, ista habebit interpretatio. Satis tamen est unus ille. qui enim hunc sequitur, magno se atque nobili nomine tuetur. Possem etiam quadam argumentorum collectione & per ambages huc trahere verba Divi Pauli, quæ sunt in prima epistola ad Timoth. capite 2. ἡ γυνὴ ἀπαληθεῖσα ἐν παραβάσει γέγονε. σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν ἐπιμείνωσιν ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ. *mulier, cum seduceretur, causa prævaricationis fuit. servabitur tamen liberorum partu, si in fide & charitate permanserint.* nam etsi aliud ibi agit, respicere tamen videtur ad pollicitationem Evæ factam. Hæc illa sunt, quibus stabiliri communis illa, & pridem ab omnibus recepta sententia debet. Cætera, quæ afferuntur, speciem veri habent: at, si propius intueâre, nauci non sunt. Nobis haud ferendum est, uti res, quæ per se certissima est, præsidio nitatur frigidæ probationis. Pulcrè ait Mosi Deus, *Exue calceos de pedibus tuis. locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Hoc cogitent illi, qui contextum Biblicum

perveſtigant. nudâ mente ſint, & pectus gerant ab opinione præjudicata vacuum. qui verum optimè excuſſerit, rex eſto. Certè Hieronymi incogitantiam excuſare non poſſumus, qui, cum vera argumenta præteriret, uſus eſt falſis. In epiſtola ad Hebræos, in capite decimo, exponitur Davidis vaticinium de Meſſia, ἰδὲ, ἥκω· ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπταί περὶ ἐμοῦ· *Ecce venio. in capite libri ſcriptum eſt de me.* Id vaticinium David recitat ex libro ſecundo Legis Moſaicæ. Quod ſanè notum omnibus eſt. At divinus Hieronymus magna fiducia aſſerit, verba illa vatis eſſe ad Geneſeos principium referenda. *Caput libri, eſt Geneſeos principium,* inquit. Non ego nunc quæro, utrum vocem liminarem בראשית, an vero pollicitationem, quæ de prole mulieris eſt, in animo habuerit ille. eſt enim ubi utrumque ſpectavit. Illud ſatis eſt, eſſe eum falſo teſtimonio uſum ad probandum quod volebat. Nobis conſtat, Hieronymum omnium, qui olim interpretati ſacras literas ſunt, fuiſſe eruditiſſimum. adeo penitus perdidicerat Hebraiſmum. Itaque quoniam fieri haud potuit, uti tantus vir temere & ſine gravi cauſa ſic erraverit, age, dicamus qua ex re ſit nata

nata isthæc hallucinatio. Rationem quidem sententiæ suæ ipse prodit non semel, *Quia omnis scriptura unus est liber.* Equidem haud dubito, quin vir maximus scitum vetus Iudæorum secutus sit, quibus placet, universa Biblia fuisse olim פסוק אחד, id est, *unum versum*, ita ut nullis sectionibus nullis capitulis, neque notis distincta fuerint volumina sacra. Memini ego amicum quendam nostrum exemplar curiosum vidisse, quod Iudæorum manu in hunc modum esset olim exaratum. Etiam illud non animadverterat Hieronymus, quid sit hoc, quod Apostolus κεφαλίδα βιβλίων appellat. Nihil enim aliud κεφαλίδες sunt, nisi ea, quæ Iudæi, & præsertim Talmudici, vocant פרקים, hoc est, *membra & partes librorum.* Quare Apostolus, Iudæus ipse, & ad populares suos Iudæos cum scriberet, percommode usus tali voce est. Nam quod dicebam modo haud divisum distinctumque fuisse Biblicum contextum, sane vero id ad scriptionis modum & continuatũ tenorem pertinet. At nulla tamen hinc confusio fuit. Nomina enim, titulosque, & sectionem cujusque partis diligenter didicerant homines usque ad derisum superstitiosi, in quorum manibus, ceu pinguia

ſuccina, attritos vidiſſes libros ſacros. Satis jam manifeſtum eſt, quare deceptus Hieronymus ſit. Nunc illud addimus, vaticinium illud, quod de Meſſia proditur in principio Geneſeos, haud potuiſſe à primis parentibus noſtris intelligi, niſi ex interpretatione Dei, qui arcanos hos abditoſque ſenſus quadam animi miſeratione illis retexit. Nam ſi id modo ſequimur, quod verba ſonant, tota res optime in ſerpentem quadrat. Qui aliter exiſtimarunt, næ nos in illis magnopere hic judiciũ deſideramus. Enimvero, quid reperias omnium veterum, etiam gentilium, ſcriptis tam vulgatum, quam hominum naturale in ſerpentes odiũ? Hanc pœnam iſti animali poſuit Deus, cum antea eſſet mortalium generi amiciſſimum. Apud Artemidorum, in libro ſecundo, ſerpens inimicitiarum ſymbolum eſt. & in Theocriti Ἀδωνιαζούσαις ait muliercula,

Ἵππον καὶ τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δέδοικα.

Ecce, anguem rem cunctis maxime formidabilem eſſe ait. Faliſci olim Tarquinienſeſque, teſte Livio, M. Fabium Ambuſtum prima acie fuderunt, cum ſacerdotes eorum, anguibus prælatis, inceſſu furiali militem Romanum in-

ſueta

sueta turbarent specie. Quod autem pedibus amissis reptile factum sit id animal, sane neutiquam Satanæ congruit. Aristoteles, quia veram causam ignorabat, rationem ejus rei mire ingeniosam ex ipsa attulit natura. Nos meliore usi magistro, esse istud scimus ab irato numine. Neque vero res inaudita est, brutum animans excepisse voces & reddidisse. nam & de Bileami asina palam est; & alibi balænam affatur ipse Deus. Pœnam quoque haud immerito tulit coluber. quippe ministerium impuro genio commodaverat ad immane flagitium. De contritione capitis quod subditur, aptissimum est. Etenim hac parte qualiscunque læsio anguibus lethalis est. itaque quoties periculum imminet, admiranda industria in spiram se colligunt, & caput reliquo operiunt corpore. cujus rei luculentus est testis Hieronymus. Sed non est his diutius immorandum. Libet Ecclesiæ nascentis initia persequi, in quibus mira divinæ sapientiæ vis illuxit. neque per tempora, sed per species, singula, ut quidque observatu est dignissimum, notabimus. Non enim historia nobis contexitur. Sæpe integrum seculum transiliemus. De Caini posteris pauca memorantur. nõ enim

de gente Dei electa erant. At Sethi filios, nepotesque, & totam ab origine gentem solicite tradit scriptura. ex hac enim stirpe patriarchæ & Messias fuere. Sethus natus est centenis plus minus annis post Abeli cædem, cum Caini progenies prophana late suas sedes posuisset, & regnum teneret impietas. At Sethus Dei metuens erat. Itaque statim, ut de illo loqui cœpit scriptor Geneseos, subjicit illud, *tunc cœptum est invocari nomen divinum.* Non intellexit hoc Rabbi Schelemo Iarchi, qui tunc ait cœpisse עבודה זרה *idololatriam*; & addit, בשמו של הקב"ה *ad eam rem abusos esse nomine veri Dei.* Quæ inepta sunt. idolorum enim cultum illa mundi infantia ignorabat. & tamẽ excepta est à plerisque hæc interpretatio cum plausu. In Sethi nepotibus aliquandiu sopita fuisse virtus videtur. aut, si aliqua in illis viguit, paulum distat sepultæ inertiæ. celatur enim. At Enochum, qui sextus ab illo fuit, insignis nobilitat pietas. Eum virum Deus mori vetuit. viventem enim ad beatas sedes traduxit corpore integro. Iudæi satis inepte ajunt, ששנעה בני אדם שקפלו את העולם כולו ואלו הן אדם הראשון ומתושלח ושם ויעקב ועמרם ואחיה השילוני ואליהו ועדיין הוא קיים septem esse viros

ros, qui omne mundi avum volvunt. esse autem hos, Adamum primum, Methusalem, Semum, Iacobum, Amramum, Ahaiam Siloniten, & postremò Eliam, qui adhuc superest. Vtique stultissimum id est. Pari enim ratione dixerit quispiam, non septem, sed duos tantum esse, Adamum, & Enochum, qui post Adamum LVI annos in terris fuit, eumque sepeliit. Quanquam certè opinantur Iudæi, & inter hos præcipuè Rabbi Aben Ezra, fuisse Enochum, communi lege, fato functum. Nos Divo Paulo credimus, qui obiisse illum negat. Et profectò, quod Enocho contigit, id cunctis datum fuisset hominibus, si in vitæ integritate perstitissent. Nunc noster nos error, gravisque noxa, mortalitate damnavit, quam per languores & mille corporis mala explemus. Non est dubium quin severa increpatione Enochus improbitatem castigaverit hominum sui ævi. Atque hæc res quosdam nugatores excitavit, quia stulta persuasione syderati, sperarêre se posse seræ posteritati illudere. quippe inglorio studio, & jejuna opera librum olim in vulgus extruserunt, quem ipsi, si Deo placet, ab Enocho scriptum ajebant. Profectò is liber aut è diluvii undis integer evasit, cum perirent

irent ferè omnia: aut postea ex cœlo delapsus est. quod est anile. Quanquam quid non audebit asserere ineptorum vecordia, cum etiam Iudæi dicant Eliam, septimo anno postquam raptus fuit, literas ad Ioramum regem dedisse ex cœlo, & addant, ועכשיו הוא כותב מעשי כל הדורות כולם *adhuc hodie illic omnium temporum fastos ab illo componi.* Et illorum quidem hallucinatio veniam meretur. non enim intellexêre verba, quæ extant in libro secundo Paralipomenûm, in capite vicesimo & primo. Cæterùm Enochi commentitia oracula ita sprevit cordatior antiquitas, uti Hieronymus Iudæ epistolam, quæ de septem Catholicis una est, ob hanc causam à plerisque è catalogo sacrorum voluminum dicat expunctam, quia testimonium ibi citatur ex hoc futili scripto.

CAPVT. II.

Ecclesia identidem admiranda numinis judicio intra unam familiam coarctata. Id exemplis ostensum.

POstquam Enochus terras reliquit, illa ipsa Sethi familia, quam sibi selegerat Deus, afflata seculi veneno est. Qui enim antea solicitè matrimonii con-

conditiones quæsiverant in ea gente, intra quam Ecclesia arctabatur, nunc sanos affectus amplius non tenuêre. Mens eorum vanas accepit imagines. Pluris esse formam, quàm morum sanctitatem, vitio ipsa suo favens credidit libido. Hæc res contagionem dedit, quæ ab impiorum filiabus profecta, manavit latius. Protinus in ævum erupit omne nefas. Perierat jus, integritas, fides, &, qui semel dimissus nunquam redit in gratiam, pudor. Nullum scelus exemplo caruit. nec vacabat cuiquam vetus odisse crimen, cum quotidie oriretur novum. Tam immedicabile malum aspero remedio indiguit. Non poterat improbitas extirpari, nisi cum hominibus. Perdendum fuit mortale genus. Supererat adhuc unus Noachus, vir scelerum purus; quem D. Petrus præconem appellat justitiæ, quia voce illius usus est Deus, uti ad sanam mentem flecteret nefarios. Datum illis est spatium centum & viginti annorum, intra quod resipiscerent. Omnino sic accipiendum est id, quod dicitur in sexto capite Geneseos. Nam Flavius quidem Iosephus perperam hæc verba in alium sensum detor sit. Nec verò obstat, quod temporum, quæ secuta sunt, calculus haud satis

satis cum serie congruit narrationis. Viderunt hoc eruditissimi Rabbinorum, Aben Ezra, & Salomo Iarchi. sed addunt iidem, quod diligenti dignum observatione est, אין מוקדם ומאוחר בתורה *in libris Mosaicarum legum non tradi quid sit prius aut posterius gestum.* Cum frustra datum ad pœnitentiam tempus esset, concitis undique fluminibus, & immissa pluviarum vi orbis terræ effusus in undas est. De tot modò millibus pauci supererant, quos Deus reliquerat in semen, uti humani generis jacturam nova sobole repararet. Mox instauravit rectum numinis cultum Noachus: &, ne diluvium alterum formidaret, intueri iridem, atque huic fidere sacramento jussus fuit. Erat Ecclesia tunc paucorum hominum. Et tamen displicuit Deo indiscreta multitudo. Iterum in minorem numerum contractio fit. Etenim, cum Noachus tres filios, Semum, Chamum, & Iephetum genuisset, in unius Semi stirpe Ecclesia hæsit. Chamum natu minimum fuisse quidam perperam colligunt ex verbis Mosis, quæ ad Chami filium potius referri decet. nam ipse Chamus quidem anno uno Semum antecessit, uti rectè divinavit Rabbi Zacuth. Certè Hieronymus eandem secutus sententiam

tentiam est. atque etiam mysterium in hac re latêre ait, quod, si verum non est, at est tamen ingeniosum. *nudatum patrem*, inquit, *irrisit major filius, minor texit: & Deum crucifixum illuserunt Iudæi, & honoraverunt gentiles.* Verba extant in disceptatione illius adversus Luciferianos. Post Semum aliquot annis pauca memoratu digna evenêre: nisi cui libeat de turri Babylonica tragicè ampullari, aut genealogiis volumina implere. à quo mirum in modum mea semper ratio naturaque abhorruit. Demum Abramus, qui de Semi nepotibus erat, inter vetusti seculi heroas illustre extulit caput: sub quo juventa quædam Ecclesiæ, & velut robustior maturitas fuit. Enimverò hic est ille justus, quem ab Oriente excitum ait eloquentissimus vatum Esaias. Terram enim Chaldæam, quæ prima nascentem exceperat, patriosque lareis, & cætera omnia, quæ longè mortalibus jucundissima sunt, deseruit, uti ignotam adiret regionem, in qua, pedem ubi poneret, non habebat. Sed parendum Deo fuit, cujus auspiciis vocabatur ad majora. Excelsa generosaque res est animus sapientis. nunquam iisdem spatiis, quibus hæc continetur

tur vita, cogitationes suas terminat, quæ multis pòst seculis eventura sunt, ad se quoq; pertinere credit. Intellexerat vir divinus regnum Cananææ fato posteris suis deberi. hoc solatio ille præsentem mœrorem edulcabat. Cæterùm spem eam, quam de posteritate habebat, multa morabantur. ipse senex erat, & per ætatem defluxerant vires. uxor vetula, quæ nec florentibus annis peperat prolem. & tamen, quoniam cœlitus ingentia promissa animum ejus firmabant, credidit Dei immensa virtute fieri id posse, quod negabat naturæ infirmitas. Itaque jure parens credentium dictus habituſque est. primus enim eas res, quæ nec erant usquam, & esse non poterant, animi cogitatione præsentes sibi fecit, intuituſque est. Atque hoc proprium est fidei, quam pulcrè sacer codex ὑπόστασιν appellat τῶν μὴ ὄντων. Natus dein Isacus est: is nempe, ex cujus familia olim Messias oriretur. Hic iterum numinis consilia, haud iniqua certè, sed arcana tamen, mirari libet. Ex Agare Ismaëlem susceperat Abramus, à quo Saraceni Arabesque traxêre originem. & rursus Cetura illi enixa erat non unam prolem. Tot liberorum pater erat religiosissimus se-

nex,

nex. cæterùm ex omnibus unus modò extitit, cui præcipuè suam addiceret benevolentiam summus rerum arbiter Deus. Ab unâ Isaci gente coli, ab hac una religionem, sacraque, & cæremonias suas fuscipi voluit. Sæpe jam habitus hujusmodi delectus fuit. neque enim verebor identidem id iterare, quod scitu est perquàm necessarium. Ex Adami liberis tantum Sethus, ex hujus stirpe Noachus, ex Noachi filiis Semus, ex illius posteritate Abramus, ac postremò ex numerosa Abrami sobole unus Isacus placuit electusque est, cujus familia Ecclesiæ nomen atque dignitatem ineffabili ratione, velut per successionem, sibi vindicaret. Cæteræ gentes, tanquam prophanæ, spretæ à numine, posthabitæque sunt, donec Messias terrarum orbem ingressus, intergerinum disjecit parietem, effecitque, quod dudum Abramo promissum fuerat, uti per sobolem ejus cunctis nationibus sine discrimine daretur sperata salus.

CAPVT III.

Sententia nostra de Melchisedeco contra communem receptamque opinionem confirmata. vis præsidiumque ingens additur epistolæ ad Hebræos.

QVæ cum ita sint, monet me animus quædam de Melchisedeco dicere. Etenim res inopinata, & miraculi similis est, illo tempore cum Ecclesia unius familiæ hæreditas esset, extitisse in impia Cananæorum gente eum virum, qui non modo rectum teneret numinis cultum, sed Abramo quoque, summo Ecclesiæ præsuli, & recens in eas terræ oras advecto, cœlestia bona precatus, impertitusque sit. Equidem scio ego quæ sit aliorum de Melchisedeco sententia. sed mihi religio non erit ab ea recedere. non enim cujusquam præscriptum sequimur. neque id siverit genius noster, uti in aliena juremus verba. Inæstimabilis res libertas est: quam esse judicii animam qui crediderit, is sententiæ suæ adscribat meam. Luculenta est Hieronymi epistola ad Euagrium, in qua ille ex Græcorum docet voluminibus, fuisse Melchisedecum hominem mortalem, Cananææ incolam, Salemensium regulum,

gulum, & summi numinis sacerdotem, qui velut imagine quadam & figura Iesum Christum, maximum itidem regem atque pontificem, mortalium seculis repræsentavit. Dein explicat verba Apostoli, quæ sunt super hac re in epistola ad Hebræos. Magna majestas eorum est, quos authores nominat, Irenæi, Hippolyti, Eusebii Cæsarienſis, & Emiseni: tum & Apollinarii quoque, & Eustathii, quem primum vidit Episcopum Ecclesia Antiochena. Horum judicium magno consensu sequuntur hodie cuncti eruditi. Etsi enim suas singuli rationes produnt, tamen diversis argumentationibus conveniunt in unum. Non est, fateor, convellendum temere, quod à pluribus constanter statutum est. quippe, ubi hoc fit, periculum est, ne omnia pervertat innovandi libido. Cæterum, quoniam receptæ opinioni adversari ipsa ratio mihi videtur, valentior esse omni authoritate debet veritas. Ego sic existimo, Melchisedecum, non hominem utique ex hominibus genitum, sed divinioris naturæ fuisse, majoremque homine, ac digniorem certe, qui tanto benedixit patriarchæ. Miserat ad Hieronymum Euagrius librum incerti authoris, qui hoc, quod diximus

nos, assereret. Sed rejectus spretusque ab Hieronymo est, plane, ut mihi videtur, præter meritum. Etenim, quoties epistolam, quæ scripta ad Hebræos est, inspicere soleo, toties in eam adductus sententiam fui, ut existimarem aut plane intelligi eam epistolam non posse, aut certe rectum, verumque illud videri, quod nos contra opinionem Hieronymi, cæterorumque omnium asserimus. De Melchisedeco nusquam est mentio in libris veteris testamenti, nisi duobus locis; videlicet in cap. XIV. Genes. & in Psal. CX. Ex illis petitum est, quidquid sublimi oratione dissertavit Apostolus in ea epistola, quam ad Hæbræos scripsit. Tanto citius profectò rem confecerimus. Scilicet valido argumento sese niti arbitrantur, qui urbem, in qua imperium rex iste tenuit, fuisse Salem ajunt, quæ sita in Cananæa fuerit: ut non possit hoc regnum rectè, nisi hominis, intelligi. Sed quæro ex istis, quo cujus edicto non licebit nobis potius Apostolo, quam istis, credere? Ecce, ait diserte, πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενο βασιλεὺς δικαιοσύνης, ἔπειτα δὲ καὶ, βασιλεὺς σαλὴμ, ὅ ἐστι βασιλεὺς εἰρήνης. *qui primum quidem ex interpretatione dicitur Rex justitiæ, deinde verò etiam*

Rex

Rex ſalem, quod eſt, rex pacis. Duo nomina tribuuntur huic ſummo regi in Geneſi. prius eſt *Melchiſedec*, alterum *Melechſalem.* non enim illud magis, quam hoc, exiſtimari nomen proprium decet. Vox *melech* Hebræis *regem, ſedec juſtitiam, ſalem pacem* notat. idque tironibus in Hebraiſmo haud eſt ignotum. Itaque *ſalem* non eſt hîc [1] nomen urbis, quemadmodum neque *ſedec.* aut eant, qui veteribus erroribus novos ſuperſtruunt, & in regno Cananææ imaginariam urbem aliquã Sedec collocent. par enim ratio ejus erit cum ſtramentitio illo *ſalem.* Sed hoc leve eſt. Nos profectò, niſi ſolidis argumentis agimus, imprudenter tot eruditiſſimorum hominum, totque ſeculorum labefactare conſenſum aggreſſi ſumus. Sed bene ſperamus. Procedant in numerum cætera, quæ idem nobis Apoſtolus ſubminiſtrat. Is magna epiſtolæ parte docet, excellentius majuſque fuiſſe Meſſiæ ſacerdotium, quam Aaronis aut Levitarum. quippe Levitarum munus fuiſſe tempora-

 neum,

[1] *Fuit quidem* Salem *oppidum Cananæa, ſed hic pro appellativo accipitur, & pax vertitur ab ipſo Apoſtolo. Hoc multi non ſatis perpenderunt.*

neum, quia dignitatem sacerdotii quisque cum vita amittebat, & in locum demortui subibat alius. At Christi, inquit, sacerdotium, pariter ut Melchisedeci, æternum est. & verò, ne fides dictis desit, Davidis vaticinium de Messia recitat ex psalmo centesimo & decimo. *Tu es sacerdos in æternum, sicut Melchisedecus.* In Græco est, κατὰ τάξιν, *secundum ordinem.* Sed David, cujus mentem magis, quam verba secutus est Apostolus, ait, כדברתי מלכיצדק, quod eruditissimus Rabbinus Aben Ezra rectè explicat כמנהג מלכיצדק *in morem Melchisedeci*, vel, *quemadmodum Melchisedec.* Neque aliud profectò verba Hebræa sonant. Enimverò ita res est. Profligaverat prælio reges impios Abrahamus, & victrices reducebat copias. Forte tunc in itinere obvium se illi tulit filius Dei, specie humanâ, habitu sacerdotis regisque indutus, ejusque animum faustis vocibus ad omnia ingentia erexit. Etiam panem vinumque festo dedit, ne quid hac quoque parte desideraret ille principum debellator. Statim Abramus esse hoc majus quiddam celsiusque sensit. Itaque quod sub imagine latebat, mente coluit, & Messiæ, summo regi sacerdotique, quem mortalibus olim datum iri intelligebat, præsenti præsens munera decimasque obtulit,

tulit. Et quid causæ, obsecro, est, cur hunc justitiæ & pacis regem non credamus fuisse eundem illum filium Dei, qui postea, ad quercum Mamre, duobus comitatus sociis, Abrahamo apparuit, cibum cum illo sumpsit, adfuit unà in unis ædibus, ac denique collocutus cum illo est? Mihi sanè majus certiusque argumentum divinæ cœlestisque naturæ videtur, homini in media via derepente, velut è machina, supervenire, eique benedicere, & alimenta potumque dare, quàm hominis tectum subire, hospitio ejus excipi, epulis accumbere, sermones cum illo ferere. Vnum modò discrimen est, quod in capite XVIII Geneseos expresse tandem dicitur, Deum fuisse, qui Abramum adierit: de Melchisedeco autem illud non ait quidem scriptor Geneseos, sed mysterium hoc relinquit explicandum Davidi & Paulo, qui nos de illo dubitare amplius non sinunt. Nec verò obstat, quod rex ille sacerdosque æternus quadam propria appellatione Melechsalem & Melchisedec vocatur. Sæpe enim sacer codex Deo nomina hujusmodi ex re nata aptat, quorum omnis posita vis in significatione rei est, de qua forte tunc agitur. Itaque alibi *Ehie ascher ehie* dictus est, & *Emmanuel*; plane ut nunc *Melech salem* & *Melchi se-*

dec. Nemo miretur multis nominibus eum appellari, qui unus est omnia. Tot sunt nomina ejus, quot spectamus virtutes atque opera. Virtutes autem ejus quis fando enumeret? cum multas percensueris, longè erunt plures, quas omittes. Ne illud quidem scrupulum iniicere cuiquam debet, quod in Genesi scriptum est, *Erat sacerdos Dei altissimi*. Hoc enim πρὸς τὸ ἀξίωμα ἱερέως, sive *ad habitum sacerdotis* pertinet, quē induerat Dei filius. Et profectò fuit cum etiam alias sumeret personas. cujus rei exempla in illustri posita sunt. Ajunt præstantissimi theologorū, quotiescunque Deus immortalis hominibus apparuit, apparuisse personam secundam, id est, filium. Quod sanè abillis rectè existimatum est. Vtique cum Apostolus ait, *Sæpe Deum antea per Prophetas, novissimè autem locutum fuisse per filium*, non ille negat visum antea in terris Messiam esse, sed haud obiisse eum concionandi illud munus significat, quod olim à vatibus semper, ac tandem verò susceptum ab ipso est. Etiam nos existimamus, filium Dei, cum in via Abramo occurreret, eum vultum, eumque habitum corporis sibi finxisse, quem postea gessit in terris. atque hoc illud esse, quod Apostolus

ſtolus ait, ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ. *Aßimilatus filio Dei.* Non poterat ipſum illud corpus induere, quod in terris poſtea intuiti ſunt, & contrectavêre mortales. Id enim ſerò admodum genitum formatumque eſt, neque antè exſtitit. quare imaginem duntaxat illius repræſentavit Abramo, ſed planè eandem, quam inter homines habuit. Neque alio pertinere mihi videtur, quod ſcriptum à Ioanne eſt, *Abram geſtiit videre diem meum, & vidit, gaviſuſque eſt.* Id enim uni Abramo contigit, & ſingulare quiddã fuit: cum de cæteris illud dicatur, *Multi prophetæ & juſti cupiverunt videre, quæ videtis, & non viderunt.* Sed neque hoc ſententiæ noſtræ repugnat, quod juſtitiæ ille paciſque rex ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, *ſine patre, ac ſine matre* fuiſſe dicitur. non enim profectò Divus Paulus myſterium illud duplicis naturæ ſpectavit, quod ejuſmodi eſt, uti Meſſiæ quidem divinitas patrem, mortalitas verò matrem, at ſeorſim neutra utrumque parentem agnoſcat. Pertinere illud ad ea tempora non potuit, cum nondum hominem induiſſet humani generis ſervator. Sed hoc utique ſenſit potius Apoſtolus, non eſſe eum communi lege ex patre

atque matre, neque ex libidine aut conjunctione viri fœminæque fatum, sed æternum eum esse, & (quod Esaias vates in capite LIII ait) *nihil posse dici de generatione ejus.* Sane verò ii ipsi, qui Melchisedecum Salemensium regulum, hominemque mortalem fuisse volunt, fateri coguntur ea omnia, quæ de illo Apostolus dixit, etiam Messiæ convenire. Quod cum ita sit, profectò non aliter Messiam ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα, *patris matrisque exortem* cogitare possumus, quàm eo pacto, uti jam nos significavimus. Equidem ego animadverto quoque, Melchisedeci sacerdotium à Divo Paulo perpetuum atque infinitum constitui. ita quippe ait, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές. *neque initium dierum, neque vitæ finem habens, manet sacerdos jugiter.* Ex quo colligitur, si Messiam atque Melchisedecum non esse unum eundemque, sed duos credimus, etiam hinc duos jam effici sacerdotes, quorum functio nullis circumscripta annorum spatiis in omne ævum durat. Quod certè nemo veterum antea, neque è recentioribus quisquam hactenus vel per somnium dixit. Nunc tandem illud dicamus, quod rerum omnium primum maximumque nobis est. Haud dubium est,

est, quin Iudæos genius aliquis malè advocatus in eum detruserit errorem, uti existimarent, id quod hodie in scriptis eorum legitur, *Melchisedecum fuisse filium Noachi, Semum, qui ad tempora usque Abrami Isacique superstes fuerit.* Hac futili opinione imbutos Iudæos Apostolus ad sublimiorem vocat contemplationem: &, de hoc ipso Melchisedeco, qui non Semo tantùm, sed cunctis major esset hominibus, verba facturus, hac præfatione utitur, περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος, καὶ δυσερμήνευτος λέγειν. *De quo nobis multa sunt dicenda, eaque difficilia explicatu.* Ecce, stupet ad magnitudinem personæ, & ineffabilem confitetur, quod nunquam facit, cum de aliis umbris typisque loquitur, quibus fuerat olim regnum Messiæ figuratum. Dein subjicit, χωρὶς πάσης ἀντιλογίας τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται. *Sine ulla controversia, non benedicit nisi major minori.* Hoc vult, divinioris cujusdam naturæ eum fuisse, nec in hominibus numerandum: quia, qui tanto benedixit patriarchæ, certè major illo digniorque esse debuit. Etiam comparat illum cum Levitis, [1] καὶ ὧδε μὲν δεκάτας ἀποδεκάτοντες ἄνθρωποι λαμ-

[1] *Ad Hebr. cap. 7. vers. 8.*

λαμβάνουσιν, ἐκεῖ δὲ, μαρτυρούμενον ὅτι ζῇ Atque hîc quidem homines, qui moriuntur, decimas accipiunt; illic autem is, de quo testatum est, quod vivit. Duo notat; primum, quod Levitæ, quibus decimæ dabantur, homines erant: dein quod morerentur. at hunc sacerdotem, cui Abramus decimas dedit, non hominem, non mortalem ait fuisse, sed eum, de cujus vita & æternitate, inquit, testimonium habemus omni exceptione majus. Quodnam autem illud est? nempe hoc Davidis, quod citat [1]; Tu es sacerdos in æternum, sicut Melchisedec. Quasi dicat, Tu es ille justitiæ pacisque rex, ille, inquam, sacerdos, qui vivis æternusque es; quem vidit Abrahamus, decimisque & muneribus veneratus est, & Melchisedecum appellavit, cum appellare eum majore atque ampliore nomine haud poterat. Etiam illud scriptum extat, vers. 15. & 16. κατὰ τὴν ὁμοιότητα Μελχισεδὲκ ἀνίσταται ἱερεὺς ἕτερος, ὃς οὐ κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς γέγονεν, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου. Ad instar Melchisedeci exoritur sacerdos alius, diversusque à Levitis, qui non ex lege, cujus mandatum sit carnale, sacerdos est, sed ex vi indissolubilis

[1] Ibid. vers. 17.

lis vitæ. Nimirum, quod in Levitis fuisse negat, id in Messia & Melchisedeco ponit, *vim indissolubilis vitæ*. Paulo ante dixit, v. 11; *Si consummatio per Leviticũ sacerdotium erat, quid amplius erat opus alium exoriri sacerdotem, secundum ordinem Melchisedeci?* Vtique hoc omnino significare vult, nullam consummationem earum rerum, quæ promissæ quondam erant, fieri potuisse per Leviticum sacerdotium. itaque opus fuisse sacerdotio perfectiore, cujusmodi fuit Messiæ illud, sive Melchisedeci. at si Melchisedecus mortalis homo fuit & Salemensium regulus, sacerdosque, ut isti ajunt; sane ineptum sit majorem perfectionem hujus sacerdotio, quam Levitarum, adscribere. Salemenses enim siti in media erant Cananæa, quæ regio nondum sacra susceperat rectæ religionis, quoniam recens in eos terræ fines advenerat Abrahamus. Sed esto. fuerit apud eos summi numinis reverentia. quis tam rerum omnium ignarus est, uti nesciat cultum religionis, etiam in ipsis patriarcharum familiis, rudem duntaxat informemque fuisse, donec lege lata societatem atque ordinem Levitarum instituit ipse Deus, præcepitque quibus cæremoniis sacrisque coli deinceps vellet,

vellet, cum id antea haud usquequaque factum esset debitis ritibus? Si omnia argumenta convectare velim, justo volumine opus sit. Satis diu jam hoc saxum volvo. liberari cupio. Dicendum tamen in extremo est, quid veteres recentioresque commenti sint ad locum Apostoli interpretandum. Videbant rem obscuram & difficilem esse. Magnum aliquid audendum fuit. In re crepera & ancipiti præceps capienda via est. Igitur illud, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, *sine patre, sine matre, sine genealogia*, haud ideo dictum putant, quia parentes non habuit Melchisedecus, sed *quia nec antè, nec postea eorum nomina adscripsit Moses.* Et rursus, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές. *nec initium dierum, neque vitæ finem habens, manet sacerdos in æternum.* Nempe, *natus quidem est*, inquiunt, *mortuusque; sed quoniam ejus rei mentio non fit, fuisse æternus existimatur: & Messiæ divinam naturam velut typo repræsentavit.* Profecto, hoc non est mysteria, sed rerum ludibria consectari. Quot enim possem Levitas sacerdotes, quot alios sanctos illustresque heroës ex sacris libris recensere, de quorum natalibus & morte altum silentium est?

est? Igitur, quod felix faustumque sit, jam totidem figuras Messiæ habebimus. Iudæi credunt Iacobum non obiisse, quia in Genesi non dicitur, *Et mortuus est Iacob*, sed, *expiravit*. Iam istud alii ad juvandam firmandamque vulgarem de Melchisdeco opinionem prodiderunt, quo autore, incertum est, sed authore tamen Iudæo. Ego quidem certe in scriptis Rabbi Schelemonis Iarchi id me legisse memini, sed purum putum existimavi delirium esse, neque magis excusari debere, quam hoc, quod de Melchisedeco vane creditum est. Qui tale præsidium ad sententiæ suæ probationem adferunt, næ illi nugas nugis propugnant. Nihil tam facile reperitur, quam ineptiendi occasio. Et quid tandem non fiet? Iam etiam metuo, ne Tobiæ canem aliquis sine cauda fuisse putet. quippe nihil de ea scriptum est. Sed omnes futilitatis numeros implevit Athanasius, qui Melchisedecum quendam fingit, cujus imprecationibus effectum sit, uti terra ima dehisceret, patremque illius & cunctos absorberet consanguineos. atque hanc causam esse ait, cur eum Apostolus fuisse sine parentibus, & sine genere dicat. Nemo ægrotus quidquam somniat tam in-

infandum, quod non aliquis affirmet sapiens. Nihil vane hariolatus est Marcus Terentius Varro. Quotidie magis magisque hoc verum reperio. Sed mittamus ludos. Si nihil aliud dixisset Apostolus, quam ἀγχιταλόγητος, adduci possem uti in eorum sententiam pedibus irem. nunc diserte explicat verba sua, aitque [1], μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε τέλος ζωῆς ἔχων, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές. *nec initium dierum, nec vitæ finem habens, manet sacerdos in perpetuum.* Vtique non quid Moses dixerit, tacueritve, sed quid res sit, & quid sibi videatur, ait. Quidquid tribuit illi Apostolus, fultum est non Mosis reticentia, sed Davidis affirmatione. Quod hactenus non observaverunt interpretes, non enim ait [2], *cujus mors reticetur à Mose*, sed contra, *de quo Davidis testimonium exstat, quod vivit.* ὁ μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. Quod profecto longe aliud est. Potest is obiisse, cujus obitus tacetur: potest & in vivis esse. quod enim silentio transmittis, in incerto est. nihil quippe affirmas. at, de quo dicitur, ὅτι ζῇ, *quod vivit*, & quidem *cum emphasi*, *ad differentiam Levitarum, qui in eodem commate appellantur*

[1] *In cap. 7. vers. 3.* [2] *Ibid. vers. 8.*

lantur [1] ἄνθρωποι ἀποθνήσκοντες, *homines mortales*; is, inquam, de quo tam evidenter hoc asseritur, non potest mortalis fuisse. aut, si fuit, profecto jam non hominum, sed angelorum lingua locutus est Apostolus. eam autem linguam an alii per insomnium aut revelationem didicerint, nescio. ego quidem homuncio ad istum sapientiæ gradum non perveni. Cæterum, qualis sit hæc vita, quam Melchisedeco tribuit Apostolus, nemini obscurum esse potest. Ait David, *Tu es sacerdos in æternum, sicut Melchisedec.* nempe sacerdotium æternum Melchisedeco adscribit vates: & ad exemplum illius, etiam Christo. Hoc Davidis testimonium citat Apostolus, verbis quidem aliis, sed eodem sensu, ὁ μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. quod perinde est, ac si diceret, *is, qui teste Davide in æternum vivit, sacerdosque est.* Hæc est vera & genuina sententia verborum Pauli. aut, si aliter existimamus, actum est de facili interpretatione epistolæ, quæ scripta ad Hebræos est. Equidem ego diu miratus apud animum meum sum, repertos fuisse quosdam, quibus hæc epistola displiceret

[1] *Ibid. vers.* 8.

quidem, quia favere Novatii erroribus videbatur, quod temere tamen & falso creditum fuit: at neminem vero deprehendisse perplexa illa ænigmata, quæ in his de Melchisedeco verbis laterent, siquidem ex communi interpretum opinione explicarentur. Agant se versentque in omnes partes ii, quos & præsens & prior ætas tulit. Nihil nisi nubes atque inania prensabunt nequicquam, & suis se tenebris involvent. Non utar circuitione. Ego initio, cum operam darem, ut quam minimo negotio deciderem cum tantis incommodis, de epistola quidem hac, quin merito olim à Latinis Ecclesiis spreta esset, nullus dubitabam. cæterum Davidis verba, quæ de Melchisedeco sunt, non ad Messiam, sed aliorsum trahebam. Enimvero Iudæos magistros sequebar, quorum est persæpe in Biblico contextu interpretando admiranda industria. Rabbi Aben Ezra ait, psalmi istius authorem esse non Davidem, sed quendam מחשוררים *è cantoribus*. Itaque cum statim initio dicitur, *Dixit Deus Domino meo, sede ad dextram meam, donec inimicos tuos fecero scabellum pedum tuorum, &c.* verba hæc sunt non Davidis de Messia, sed, ut ipse vult, cantoris de Davide, ut hic

sit

sit sensus, *Locutus est Deus Domino meo Davidi: esto rerum omnium securus. hostes enim tuos Philistæos sic omnes fundam, ut eorum capitibus insultes.* Postquam plura in eandem sententiam dixit psaltes, tandem adiicit, *juravit Deus, & non pœnitebit: tu es sacerdos in perpetuum, ut Melchisedec.* Persæpe spiritus divinus reges principesque & ductores populi, sacerdotes appellat, quia cæremoniarum ad eos, religionumque cura & tutela pertinet. Itaque, *Eris sacerdos*, mutatis verbis esset, *regnabis, eritque tibi summum imperium in cives tuos.* Illud vero, *In seculum*, putat Rabbi Kimchi dictum ob hanc causam, quia Saulis fuerat execrabilis & brevis potestas. at David inter res lætas florentesque consenuit. Sequitur, *sicut Melchisedec.* Hîc non idem sentiunt Iudæi. Rabbi Abraham ait, המעם שישראל ילחמו ואתה תקח חמעשר כאשר לקח מלכי צדק מאברהם: mens verborum est, *pugnabit Israel, & tu decimas prædæ accipies, ut Melchisedec accepit ab Abrahamo.* Rabbi Moses ne ad historiam quidem hæc retulit, sed Chaldæum secutus Targumistam est, cujus est hæc interpretatio, ואנת מתמני לרבא לעלמא ראתי בגין זכותא דהויתא מלך זבאי: *tu constituêris dux princepsque annis consequenti-*

quentibus, idque propter justitiam. quia es rex justus. ita enim accipio verba Chaldaica, quæ alii secus intellexêre. Vt ad pauca redeam, memorat plures id genus psalmos Aben Ezra, in quibus non David, sed cantor, quisquis fuit ille, de Davide loquitur. Inter eos est psalmus vicesimus, *exaudiat te Deus in die angustiæ.* Tum & is, qui sequitur, *domine in fortitudine tua lætabitur rex.* item septuagesimus secundus. Hæc cum hunc in modum cogitaré, commodum obtulit se oculis nostris luculentus locus divi Matthæi, qui est in capite vicesimo & secundo. Ibi Pharisæos interrogatione illaqueat ipse Christus, πῶς Δαβὶδ πνεύματι κύριον καλεῖ χριστὸν; λέγων, εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν &c. *Quomodo David spiritu divino actus, appellat Christum Dominum? dicens, sede ad dextram meam, usque dum &c.* Non alio argumento nobis opus est ad confutandam vanitatem delirii, quod penè nobis imprudentibus obtruserant Rabbini. Per totum illum psalmum non cantor de Davide, ut ipsis placet, sed David de Messia loquitur. Id Pharisæos in Euangelii libro docet supremus, maximusque magister, penes quem fides esto.

Erravit

Erravit Aben Ezra, Rabbi Moſes, & Kimchi, atque Chaldæus Targumiſta, & quantum uſpiam eſt verporum. Manet manebitque veritas myſterii, quod de Melchiſedeco effatus eſt David, quem ſecutus eſt Apoſtolus, cujus epiſtola ad Hebræos ſacroſancta eſt, & nihil niſi Deum ſpirat. Neſcio equidem an poſt Euangelium Ioannis ullus ſit novi teſtamenti liber, in quo plus profundæ reconditæque ſit theologiæ. Quare non ſine cauſa antea cruciabat me conſcientia averſi genii mei, cum unius loci non intellecta vis judicium tardaret meum de tam illuſtri ſcripto, quod cæteris ſui partibus omnia prodebat magna & excelſa. Non temere poteram divino ſpiritu dictatum credere, in quo tam inconcinna cernerem: & tamen, ſicut magnorum fluminum capita admiramur, & in ſylvis quibuſdam ſecretum umbræ, atque arborum proceritas fidem numinis facit; ita, cum oculos ad ea conjicerem, quæ in eodem illo autoris monumento ſupra hominum eſſent mediocritatem, decreveram cum animo meo tantiſper iſthæc venerari, donec cætera quoque, quæ non capiebam, tandem aſſequerer aliquando. Et profecto non peſſime res ſucceſſit. Nam

quæ de Melchisedeco diximus, si non omnino certa, at verisimilia tamen sunt. Filius Dei fuit, cui Abrahamus decimas dedit. Neque aliter quæstionem hanc, quæ mere historica est, decidimus. Equidem nescio quibus sit documentis usus scriptor ἀνώνυμος, quem tam cupide damnat Hieronymus. argumentationes enim illius nec recenset, nec confutat. Fortassis ille imperite defenderat causam optimam. quod fit interdum. Sententia quidem ejus recta veraque est. Quanquam illud tamen improbamus, quod putavit Spiritum Sanctum apparuisse Abramo. quippe satius est, uti jam ostendimus, filium Dei eum fuisse. Cæterorum disceptationes referre, supervacuum est. Magni tamen nostra interesset, extare Origenis homilias, in quibus multa ille de Melchisedeco disputavit, teste Hieronymo, ac tandem illuc perduxit rem, uti *angelum fuisse* eum diceret. Quæ opinio, etsi nobis non admodum placet, quia incommodi quiddam habet, tamen laudanda est præ ista, quam Hieronymus & cæteri sunt amplexi veteres recentioresque. Quod manifestum faceremus, si opus esset. Certe magno fuit vir ingenio, atque excellenti eruditione Origenes:

genes: uti non immerito scientiam illius optaverit Hieronymus, etiam cum invidia nominis. Fuit ille quidem pernicioſorum quorundam dogmatum author: ſed tamen, quia præſtantiſſimus erat ſacræ ſcripturæ interpres, ita ſpernendi errores ejus fuere, uti nihil derogaretur ſummis ejus virtutibus. Falli & hallucinari humanum eſt. ſolitudinem quærat oportet, qui vult cum perfectis vivere. Penſanda vitiis bona cujuſque ſunt, &, qua major pars ingenii ſtetit, ea judicandum de homine eſt.

Caput IV.

Eccleſiæ fata ab Abrami temporibus uſque ad regni Iſraëlitici ſciſſionem, quæ poſt Salomonis mortem contigit. Divinandi vis in morituris. Iſraelitarum idololatria in Ægypto. Superſtitionibus Ægyptiorum ſæpe poſtea obnoxii Iſraelitæ in Palæſtina. Apis. Serapis. Vitulorum, & ſerpentis veneratio. An Iudæi aſinum coluerint? Cur Ægyptii aſinum execrati ſint? Cophinus fœnumque Iudæorum, qui Romæ erant. Res legeſque Iudaicæ intactæ Græcis Romaniſque ſcriptoribus, & quare. De Theopompo & Theodecte. Iudæorum

adversus exteros odium. Mendacia de Iudæis.

POstquam ex his scopulis enavigavimus, pertexendum jam est, quod antea exorsi sumus. Perduximus ad Abrahami tempora Ecclesiam: in qua seligenda hoc maxime spectavit Deus, uti in una familia, & interdum penes unum esset. Abrahamo unus Isacus successit. ad cæteros ejus liberos non est devoluta tantæ rei hæreditas. Rursus, cum ille ex Rebecca gemellos, Esavum & Iacobum, suscepisset, singulare fatum Iacobi fuit. idque multo ante ex oraculo intellexit mater adhuc gravida. Secuta divinam prædictionem patris auguratio est. Sæpe heroicis temporibus patriarchæ, sanctissimi mortales, conceptis verbis res futuras significavere liberis suis, paulo ante quam illis natura finem vitæ faceret. Nimirum erat in animis eorum quiddam præsentiens atque divinans, cum illud instabat tempus, quo onerosi corporis vinculis exoluti, ad cœlum suum, & speratas beatorum sedes migrarent. jam tum enim, etiam in terris adhuc, frui divinitate sua incipiebant, & majore vi agebantur. Idem Isaco accidit. Oculos ejus caligo pepu-

lit:

sit: menti lux accessit: &, cum in vicino mors erat, vatem egit. Longum esset disserere, per quas rerum difficultates eluctatus Iacobus sit, dum insidias illi tenderet frater, vir haud admodum numinis observans, sed qui progeniem post se reliquit longè nequiorem. Atque hîc insignis jam rerum mutatio incessit. Etenim ex Iacobi duodecim filiis ortus est is populus, quem Israëlem appellat sacer spiritus. Itaque cum hactenus identidem alia atque alia familia, sed plerumque una duntaxat, sacrorum religionumque fuisset custos, tandem nunc id decus datum cunctis Israëlitis est; quibus certe solis licet consecrare origines suas, & ad Deum referre authorem. Hæc gens incredibile memoratu est quantis incrementis aucta sit brevi tempore. Sed quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibus artibus potentiam adepti sint, abunde in iis dictum est libris, quos de Republica eorum scripsimus. Nunc libet alia persequi. Sanctum populum statim initio longa sterilitas & agrorum ingratitudo alias in terras expulit. Sedes illi præbuit Ægyptus, quæ regio mirè segetibus semper exuberat, & Nili sui inundationibus læta nihil cœlo imbri-

busque debet. Illic dum fuêre, per multos annos patriis ritibus eorum & avitis sacris incorruptus honos stetit. Sed tandem, ut nihil perpetuum est, in superstitionem delapsi sunt, quæ jam olim per Aegyptiam gentem fusa, tunc quoque illorum imbecillitatem occupavit. Certè Israëlitis objicitur in capite vicesimo Ezechielis, quod in Aegypto idola & stercoreos deos honoraverint. Nihil illa oratione, quæ ibi extat, luculentius est. At in capite vicesimo & tertio, paulo obscurior sermo est; sed idem tamen dicitur: *Fili hominis, duæ mulieres, unius matris filiæ, fuerunt, quæ fornicatæ sunt in Ægypto. Ibi pressa sunt ubera earum. major Ahola dicta est, & soror ejus Aholiba. meæ, inquam, fuerunt, & filios filiasque peperunt.* Fictis nominibus Israëlem designat & Iudam. Diu Iudæis idololatriæ adhæsit contagio, quam ab insolenti & ventosa natione traxerant. Etenim quod serpens æneus, quem in paucos dies, & ob aliam causam Moses erexerat, thure postea & sacrificiorum libamentis usque ad tempora Hiskiæ cultus sit, id verò totum ab Aegyptiorum profectum vanitate est, qui, ut Marcus Tullius ait, *quamlibet carnificinam prius subierint, quàm aspidem aut ibin violent.*

Ipsum

Ipsum Serapidem draco repræsentabat, eminuitque id animal præcipue inter fercula Isiacæ pompæ, de qua Ovidius in hunc modum loquitur,

Pigraque labatur circum donaria serpens,
Et comes in pompa corniger Apis eat.

Percommodè Apin nobis in mentem vocat Naso. quippe is fuit sanctus bos, & summum numen Aegyptiorum. Eos imitatus Hieroboamus Israëlitarum rex est, aureamque bovis imaginem in Bethel & Dan erexit, uti hac re populum sibi retineret, firmaretque, Aegyptiacæ superstitionis memorem. Quid multa? quotiescunque Iudæi, spreta Mosis lege, animalia quædam, effigiesque venerati sunt, ad Aegyptiorum se exempla composuerunt. Itaque mirari satis nequeo, quid Plutarcho, aliisque maximis autoribus in mentem venerit, cum Iudæos asinum divinis coluisse honoribus tradiderunt. Futilia hæc sunt & nugatoria. nam nec legibus eorum istud sancitur, quæ adhuc integræ in manibus hominum sunt: & rursus ab Aegyptiis esse ejus rei origo nequit, quoniã profectò nullum animal magis invisum huic genti est. Typhonem enim quendam Osiridis interfectorem omnibus contumeliis mortuum insectaban-

ctabantur : & , quia is fulvo crine fuerat, cunctos asinos, ob similitudinem coloris, de saxo præcipites dare, mos eorum fuit. Nemo quisquam ruffus reperiebatur, qui non publicè ludibrio esset. Etiam Busiritas ac Lycopitas ait Plutarchus tubis non usos, quod sonus earum quiddam clangere asininum visus est. Supra omnem festivitatem est, quod de Ocho Persarum rege produnt. Eum Aegyptii identidem asinum appellaverant, incredibilem hoc ignominiam rati. quibus ille, ὁ μὲν τοι ὄνος οὗτος ὑμῶν κατεύωχήσεται τὴν βοῦν. *atqui*, inquit, *iste asinus vestrum bovem comedet*. Apin autem designabat. Falsum est igitur, quod de Iudæis magno consensu memorant tot scriptores. Et tamen adeò blandita est iis hominibus commenti dulcedo, ut reperti sint, qui septimo quoque anno hominem peregrinum huic fuisse asino immolatum affirment. Nos hæc omnia in odium sacræ gentis conficta arbitramur. neque id insolens fuit Romanis Græcisque. Ingeniosa est ad mentiendum impietas, & favet ipsa industriæ suæ. Sed tempus est ab his facessere. Ad Israëlitas redeo, quos in Aegypto sedes posuisse jam retuli. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est,

quàm

quam aliorum quod beneficio tenes. magna enim mobilitate sunt animi hominum. quisquis alterius rebus consulit, suam ipse fortunam habet in consilio. ubi res postulat, fides & pacta posthabentur. Enimvero Ægyptii beneficium suum rati, quod Hebræi in rebus bonis essent, postquam metus jam erat, ne advenæ in partem regni acciti contra omnes valescerent, animum mutavere, &, quos diu benigne prosecuti erant, repente velut fatigati destituunt. Placuit eos dura servitute oppressum ire. Hoc factum ea tempestate ait Moses, cum Ioseph & cuncti fratres ejus fato functi essent. Non magni est, quod Rabbini notant: אין לך בכל השבטים שקצר ימים פחות מיוסף ואין לך בכל השבטים שהאריך ימים יותר מלוי וכל זמן שהיה לוי קיים לא נשתעבדו ישרי למצרים ומשמת לוי התחילו המצרים לשעבדם: מכאן אמרו אחר מן האחים שמת ודאגו כל האחים אחר מן החבירה שמת תדאג כל החבירה: sententia est, *Iosephum minime diu vixisse, diutissime autem Levi. quo extincto, oppressos Israelitas esse. Atque hinc natum esse Hebræorum illud adagium, unius fratris obitu cæteros omnes affligi, & uno socio ablato, in luctu esse totam societatem.* En acumen Iudaicum. Equidem ego sic semper existimavi, pleraque Hebræorum adagia

gia insulsa esse & frigida. Valde lentis maxillis edunt, quibus istæ deliciæ sapiunt. Non sunt nauci, si admirabilem vim & felicitatem cogites, quæ in Græcis Latinisque est. Sed hæc præter rem sunt. Quam miseris modis sanctam gentem prophana adflictaverit natio, traditum in iis libris est, quibus Mosaicæ continentur leges. instabant duri operum exactores. in cessantium terga sævitum fustibus est. ibat cœlo clamor virorum. Alii lateres condendis urbibus coquere: quidam stipulas convectare, pars stercora egerere: postremo, cuncti servilibus officiis intenti ætatem agere. Iudæis in hujus rei memoriam etiam hodie in cœna Paschali puls quædam comeditur, quam peculiari nomine חרוסת appellant. Neque profecto alia causa est, cur Iuvenalis Iudæos Romæ semper cophinum fœnumque habuisse dicat in supellectili.

——*Cophino fœnoque relicto*
Arcanam Iudæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna sacerdos
Arboris.

& antea quoque,

Nunc sacri fontis nemus & delubra locantur
Iudæis,

Iudais, quorum cophinus fœnumque supellex.

Enimvero cophinum fœnumque gestabant, cum quod fiscellis stercora lutumque portaverant in Ægypto, tum quia stipulis fœnoque usi erant ad fingendos lateres. Intererat eorum, per hęc monumenta cunctos docere mortales, quam aspera olim & fœda pertulissent. Nemo illa poëtæ verba rectè explanavit, præterquam Philippus Beroaldus, inter Italos quondam apprime eruditus vir. Satis gravem testem citavimus, Iuvenalem. Sed tamen procedat etiam alter, cujus sermones haud cinerem quæritant. Venustum est Martialis epigramma in Gelliam; quæ, cum honestissimas conditiones respuisset sæpe, tandem superbiæ pœnas dedit, & Iudæo nupsit, contemptissimo bipedum.

Dum proavos, atavosque refers, & nomina magna,
Dum tibi noster eques sordida conditio est,
Dum te posse negas, nisi lato, Gellia, clavo
Nubere, nupsisti, Gellia, cistifero.

Mendicabulum hominis, Iudæum, vocat cistiferum, qui cum fœno cophinoque perambulabat urbem. Nemo

mo facile magnæ calamitatis obliviſcitur. Manebat alta mente repoſitum inclemens Ægyptiorum imperium. Cæterum, dixerat Abrahamo Deus fore, uti per quadringentos annos Ægyptiis ſervirent Hebræi. quod ſecus cecidit. conſilia enim in melius retulit, haud dubie miſertus eorum. Ad hanc rem pertinet quod Chaldæus Targumiſtes ſcriptum reliquit: *Abbreviatum eſt tempus præfinitum propter merita patrum, qui comparati ſunt montibus. & deminuit de tempore ſervitutis centum & nonaginta annos propter juſtitiam matrum, quæ comparatæ ſunt collibus.* Habebat ea ætas divinum virum Moſen, cujus auſpiciis ex Ægypto evaſit populus Hebræus, ingreſſuſque iter longum eſt per deſertiſſimas ſolitudines. Non fuit *exeundi autor Hieroſolymus aliquis aut Iudas*; neque *conquiſitum collectumque vulgus, tanquam inviſum diis, alias in terras, monitu Hammonis, avexit Bocchoris rex.* hariolatus eſt Cornelius Tacitus, atque ii omnes, qui hæc illum docuerunt. Sed nihil mirum eſt tam falſa prodidiſſe de Iudæis eos ſcriptores, qui ſacra volumina nunquam inſpexere. Odit profanum genus damnatque tenebris Deus: neque paſſus eſt profecto, uti ſancti populi res cognoſcerent

scerent etiam ab ea parte, quæ publica est. Extant apud Flavium Iosephum verba Demetrii: qui, mirante Ptolemæo, cur Mosaicarum legum nec historici ulli, nec poëtæ meminissent, causam ejus rei contulit in magnitudinem negotii, quam angustiæ pectoris illorum non caperent. Ad hoc, divinitus pœnas dedisse ait, qui eas sollicitassent, Theopompum atque Theodecten. quippe illum mente, hunc visu esse orbatum. Quod si qui sint inter eos, qui de illis aliquid scripsere, pluribus modis labefactata ab illis veritas est. Nemo illorum quisquam est incorruptam fidem professus. Etenim, ut quædam vera sunt, ita singulis ferme aspersum mendaciolum est, & quidem malignum. Quocunque oculos conjeceris, tale quiddam deprehendes etiam in præstantissimis authoribus. Vel Iuvenalis, ecce, quam aliena effutivit, cum de Iudæorum loqueretur superstitione?

Romanas autem soliti cõtemnere leges,
Iudaicum ediscunt, & servant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses:
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti,

Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

Vera falsis miscuit, plane uti confusa res sit. Sane vero non fuit tanta amentia Moses, ut hoc tam barbarum jus introduceret. Quid fuisset aliud de homine in ferum animal transire, si non hoc fuisset? Præclare ab Ennio dictum est,

Homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit.
Nihilo minus ipsi lucet, cum illi accenderit.

Natura ad humanitatem nos formavit. hujus imperio petere & dare jubemur quæ posita in communi sunt. Quidnam est igitur? injurii in Mosem sunt, qui hoc illi affinxere. Diu post tempora illius, cœpit hoc esse Iudæorum primo vitium, dein mos quoque: ut recte Hieronymus dixerit, *pejores esse eos nunc, quam olim.* Fuit illis hinc adversus omnes gentes hostile odium. separati epulis, discreti cubilibus, alienigenas, ut purgamentum, vitabant. in summa mendicitate superbire, Dei se gentem dicere, patriam religionem & antiqua nomina jactare, denique nihil

nihil moderati neque pensi habere. Profecto, insigniter invidos & zelotas oportet fuisse, qui decretum istud Hyrcani & Aristobuli tempore fecere, quod Rabbi Zacuth memorat in libro Iuchasin, ארור מי שילמד לבנו הכמה יונית *Maledictus sit: qui filium suum Græcorum instruxerit disciplinis.* Ab eadem malevolentia fuit, quod tantopere indignati sint, legem Mosis fuisse Alexandriæ in profanum sermonem conversam, Philadelphi, optimi regis, jussu. dolorem quidem certe suum quotannis solenni jejunio ad VIII Teveth fassi sunt. Hæc mera ærugo erat, hic nigræ loliginis succus, qui animos eorum venenaverat. Sed non opus est tantas moles convectare ad refellendum, quod Tacitus falso dixit de Iudæorum exitu ex Ægypto. Facessat Romanus scriptor, ubi vir divinus loquitur Moses, ἐκ τῶν Διὸς δέλτων γὰρ ὁ μάρτυς. *quippe is testis est ex Iovis tabulis.* Postquam in Arabum deserta ex Ægypto evaserant Israëlitæ, mire illis adfuit semper numinis clementia. Ajunt Rabbini tres fuisse insigni pietate homines, quibus tria maxima beneficia tulit accepta populus Israël. מן בזכות משה עמוד ענן בזכות אהרן באר בזכות מרים מתה מרים נסתלקה הבאר וחזרה

להן בזכות משה ואהרן מת אהרן ונסתלק
עמוד הענן חזר להן בזכות משה מת משה
נסתלקו שלשתן ולא חזרו שניה שנאמר
ואכחיד את שלשת הרועים ביום אחד:
Manna illis contigit ob merita Mosis, columna nubis propter Aaronem, puteus propter Miriam. Moriente Miriam, periit puteus. sed restitutus est propter Mosem & Aaronem. Obiit Aaron, evanuitque columna nubis. reddita tamen est propter Mosem. At Mose extincto, sublata sunt simul tria hæc. Scriptum enim extat, excindam tres pastores mense uno. Verba, quæ citantur, Zachariæ sunt. Sequitur autem Rabbinicã interpretationem, uti ego opinor, Hieronymus: atque insuper causam addit, cur uno mense obiisse eos dixerit vates, qui, ubi accurate rem exigis, potius uno ceciderunt anno. Vt ut hæc sunt, præpotens numinis vis fuit, quæ populum exulem & omnium rerum egenum, in asperrimis locis tam diu sustentavit. Quod si jam illa intueare, quæ paulo post evenerunt, cum Cananæam ingressus Israel est; ibi vero, quot res gestæ, tot miracula occurrunt. maximæ hostium copiæ parva manu fusæ: per altissimos fluvios siccis pedibus, velut continenti, pervium iter. oppidorum mœnia, nullo impellente, subversa. Quæ omnia ejusmodi sunt, uti vim eludant

eludant humani ingenii. Illud vero multo maximum est, quod etiam Solis cursum voce sua tardaverit per integrum diem summus populi ductor Iosue. Chaldæus Targumista Cantici Canticorum ait, Iosuen tunc ceciniſſe hymnum illum, qui ex decem, quos numerant, quintus est. Quid causæ sit, cur Iudæi, autoritate cujusdam Rabbi Iose permoti, tradiderint hoc factum esse בירח של ניסן *Kalendu mensis Nisan*, atque in eam diem, præter solitum, incidisse æquinoctium; nos divinare non possumus: nisi quod profecto fatalis delirandi libido subegerit eos miraculi extenuare magnitudinem. Satius fuisset, ad venerabile rei mysterium stupere. Sed tandem habeat finem aliquando hæc dissertatio. Postquam igitur Cananensiũ potiti Israëlitæ sunt, diu Ecclesia communis fuit duodecim tribuum. nec ante mutatio incessit, quam Salomonis decessus inter dominandi avidos certamen ingens excitasset de regno. Ibi scissus in contraria studia sacer populus est, cum pars hæc Roboamum Salomonis filium, pars illa sequeretur Effraimitam Hieroboamum Nabatho genitum. A Roboamo Iudas & Benjamin stetit: ab Hieroboamo reliquæ decem tribus.

ille Hierosolymam & finitima loca, hic Sichemum tenuit. Ita duo regna extitere: quorum alterum Iudaicum, alterum est Israëliticum dictum. Neque vero mansit intemerata religio. quippe ad idolorum cultum tribus suas averterat Hieroboamus, ut sacrorum dissimilitudo dissidium quoque augeret infensarum partium. Quare ex illa tempestate ad solos Iudæos redacta Ecclesia est; quorum nomine etiam Benjaminitæ propter summam, quæ fuit inter eos, conjunctionem, appellantur. In libro quidem Esteris, Mardochæus dictus Iudæus est, cum esset de nepotibus Benjamini. id quod Rabbi Elias publicavit. Hæc est illa tantopere celebrata Ecclesia Iudaica. cujus quæ fata, quæve mutationes fuerint, paucis sic dixisse, ingens operæ pretium fuit. Nunc ad alia pergimus.

CAPVT V.

De circumcisione. Quæ gentes olim fuerint circumcisæ. De Ægyptiis, Æthiopibus, & Colchis. Verba Ieremiæ de Ægyptiis à quorundam interpretatione vendicata. Pauli locus de iis, qui præputia reducunt, perperam ab Hieronymo intellectus. Immodicus astus Hieronymi in libris adversus Iovinianum.

nianum. Hallucinatio ejusdem in verbis Iosuæ de repetita circumcisione. Cur circumcisio octavo die celebrata.

PErdiu sane populus sanctus reliquas inter gentes nulla diversitate notabilis fuit. Noscebat suos, quos delegerat Deus; & ab his noscebatur. insignia & notæ aberant, quæ usurpari oculis possent. Primus Abrahamus, cui facta rerum maximarum spes erat, sacramentum accepit, cujus vi de futurorum eventu esset certus. Iussus est circumcidere suorum præputia, ejusque rei exemplum transmittere ad posteros; quibus eadem posita lex fuit. Nihil tam religiose observatum ab illis est. Sed imitatæ tamen morem hunc etiam aliæ gentes sunt. quæ res accuratissimos scriptores in errorem impulit. haud enim sciverunt ex qua sit origine hoc ductum. Herodotus ait solos omnium mortalium Ægyptios, Colchosque, & Æthiopes id fecisse. Syros verò, qui in Palæstina sunt, hoc est, Iudæos, ab Aegyptiis didicisse. neque verò dubitandum esse, cum hoc confiteantur illi ipsi Syri. Sed enimverò danda est errori huic venia. obscura enim propter vetustatem sunt rerum initia. Nos Abramum circumci-

sionis authorem cunctis Iudæis fuisse, non opinamur hercle, sed certò scimus. In hoc uno tamen Herodotum sua non fefellit divinatio, quod Aethiopes potius ab Aegyptiis, quàm hos ab illis accepisse morē existimat. Quippe primi Aegyptii Hebræos, quos sedibus suis exceperant, imitati sunt. Exinde res manavit ad finitimos, Colchos, Aethiopesque. Quoniam de prophanarum gentium circumcisione diximus, confutandus nobis est eruditissimus Rabbinus, cujus extat liber in manibus hominum, qui Aruch dicitur. Magnum atque memorabile facinus inceptat, qui in animum induxit ruspando ventilare quicquid errorum est in Rabinicis scriptis. Homines enim Hebræi, egregia eruditione, sagacique ingenio, cum sacri codicis sensa patrio sermone evoluta nobis darent, multa feliciter repererunt, quæ aliorum nunquam assecuta esset industria. Sed iisdem rursus aut confidentia interdum aut ambitio interpretamenta quædam dictavit, quorum falsitatem incogitantibus deprehendere haud facile est, quia veris proxima sunt. Non ego nunc de allegoriis, mysteriisque, neque de fabulis loquor, quibus sua ipsi scripta miserum in modum infamaverunt.

verunt. monstra enim hæc sunt, in quæ si Hercules incidisset, putasset sibi tertium decimum laborem venisse. Sed eas dico interpretationes, quibus פשוט, ut ipsi vocant, hoc est, *simplex verborum sententia* explicatur. Hac enim parte soli Iudæi, ingratiis omniũ gentium, tenent quendam principatum. Et nobis quidem de Iudaicarum interpretationum virtutibus vitiisque alio loco abunde dicetur. Nunc Ieremiæ recitabimus verba, ex quibus author libri Aruch olim commentum fabricatus est, quod probavêre amplexique sunt hac ætate viri etuditissimi. Ait apud vatem Deus in capite nono: *Ecce, prope adsunt dies, cum animadvertam in omnes, qui circumcisi sunt cum præputio.* & addit, in quos animadversurus sit; *In Ægyptios, & in Iudæos, in Edomitas, & in Ammonitas, Moabitasque.* Circumcisi cum præputio, ii sunt, inquit autor libri Aruch, qui postquam circumcisi essent, præputium attraxêre. Tales autem erant Aegyptii, inquit; quia circumcisi quidem erant, quo tempore vivebat Ioseph: at, illo mortuo, adduxerunt sibi præputium. Nempe hoc sentit Rabbinus, odio Israelitarum Aegyptios, ut obiit Ioseph, omisisse circumcisionis ritum,

quem olim, vivente illo, ab ipsis didicerant. quin & ad hanc rem arte usos esse ait, quæ abscissam cutem repararet. noluisse enim eos quidquam commune habere cum ea gente, quam per se pridem pastoritio vitæ genere invisam, ob unius tamen Iosephi merita hactenus, sed ægrè hærere in parte regni siverant. Hæc est sententia præstantissimi Rabbini, qui putat Aegyptios non fuisse circumcisos, ex qua tempestate, relictis eorum finibus, in Palæstinam concessêre Israëlitæ. Sed non ita est profectò. Etenim suo adhuc ævo recutitam prisco more fuisse eam gentem, Herodotus atque Strabo, &, qui diu post illos vixêre, Hieronymus Ambrosiusque memorant. Enimverò perperam intellexit scriptor Hebræus verba Ieremiæ, quorum interpretatio mihi ea videtur optima, quæ est pervulgata. Scio equiquem cum autore libri Aruch etiam sentire V. C. Ioannem Drusium, quo sumus magistro quondam usi. Sed ille, quâ fuit animi æquitate, dedisset ingenuo candori nostro veniam. Etenim incorruptam libertatem professi, sine amore, sine odio, quid rectissimè dicatur, exquirimus. Profectò, quoniam spiritus sacer *circumcisos cum præputio* appellat primùm

mùm Aegyptios, dein Iudæos; interpretamentum istud de omissâ spretâque circumcisione, si ad Aegyptios refertur, falsum quidem est, ut jam ostendi, sed tamen colorem veri habet. at ubi Iudæos spectas, de quibus ibidem sermo est, jam nequaquam procedit commentum. Etenim is populus, etsi ad impietatem identidem prolapsus est, & Deum negligere, sacra prophanaque omnia polluere didicit, circumcisionis ritum tamen retinuit constantissimè, eaque re gloriatus semper est usque ad ineptias, & cum derisu. Sed omissâ hac disceptatione, redeamus ad primam sanctissimi instituti causam, quam diximus hanc fuisse, uti populus Israëliticus aliqua diversitate noscereturr. Libet & alteram huic addere, quæ gravior certè, majorque est. Inter eas res, quæ Messiæ sacrificium figuraverunt, etiam sanguis ille fuit, qui præputiorum circumcisione fundebatur. Quoniam autem rerum soliditas inania pellit umbrarum, æquum fuit, ut, postquam Messiæ vultus terrarum orbi affulsisset, eæ imagines tollerentur, in quibus fuerat olim mysterii hujus occulta quædam significatio. Quare illâ tempestate vim suam circumcisio perdidit. Nam neque ii, qui ex prophanis

phanis gentibus venerati Messiã sunt, præputia ponere necesse habuerunt, uti Ecclesiæ sacris initiarentur; & rursum Iudæis, si qui adorare eundem voluêre, nihil quidquam officiebat, quod recutiti essent. Est super hac re luculentus divi Pauli sermo ad Corinthios, in capite septimo primæ epistolæ. περιτετμημένος τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω. ἐν ἀκροβυστίᾳ τις ἐκλήθη; μὴ περιτεμνέσθω. ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστι, καὶ ἡ ἀκροβυστία οὐδέν ἐστιν, ἀλλὰ τήρησις ἐντολῶν θεοῦ. *Circumcisus aliquis vocatus est? ne attrahat præputium. in præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur. Circumcisio nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Enimverò erant illo ævo quidam malè superstitiosi, qui, cum ex Iudaismo sese in Christianismum transderent, usque adeò nulla Iudaici ritus supereſſe vestigia in corpore suo voluêre, uti præputia quæ infantes amiserant, jam repararent viri. Ad eam autem rem medicorum usi operâ sunt. Quæ fuit profectò nimis anxia religio. Et jure igitur eam culpavit Apostolus. Sæpe subiit animũ meum cogitatio, quonam modo D. Hieronymum fugerit sententia verborum Pauli, cum tamen nihil illo viro eruditius viderit veterum ætas. Existimat ille, per

per totum istum locum de cælibatu & de conjugio agi. Verba autem sic interpretatur: *Eo*, inquit, *tempore, quo vocatus es & credidisti, si circumcisus, hoc est, cæleb eras, noli ducere uxorem, id est, noli adducere præputium, ne circumcisionis & pudicitiæ libertatem oneres sarcina nuptiarum. Rursum, si in præputio quis vocatus est, ne circumcidatur. Habebas uxorem, cum credidisti. noli fidem putare causam dissidii. in pace enim vocati sumus.* Quæ de servis adduntur à beato Apostolo, eodem pacto explicat. Hæc, & his gemina, non uno loco Hieronymus; sed præcipuè in commentationibus, quas in Esaiam edidit. Et verò, uti ostendat Pauli locum non esse verbo tenus, aut sine allegoria explicandum, disertè ait, *haud esse potestatis nostræ, præputium adducere post circumcisionem.* Nos Hieronymo non opponemus illustrium medicorum consensum, qui fieri id posse affirmant, quod negitat ille. Satis illum redarguit tot historiarum fides. Quanquam hercle, quod in Maccabæorum libris scriptum est, filios Tobiæ fecisse sibi præputia uti Græcis essent similes, illud ipsum frigida interpretatione pervertit. Atqui Flavius Iosephus ejus rei tam certus est au-

thor,

thor, uti addubitare amplius, non sit hominis sobrii. Enimverò ita res est. Abripuit Hieronymum, ultra quàm satis est, cælibis vitæ amor. Hanc enim ille uti mortalibus commendaret, omnia solicitavit prophetarum atque apostolorum dicta, plerisque etiam vim fecit. Quemadmodum arquatis & veternosis, lutea quæ non sunt, æquè ut lutea videntur: *sic*, cujus animo semel sedit *pervicax opinio*, desinit ille res verâ notione discernere, & quidquid obviam uspiam est, id omne inservire suæ causæ autumat. Certè quidem in libris adversus Iovinianum effertur sine habenis, exuberans exultansque. argumentorum verò delectum habuit nullum. Etenim, quod magnæ imprudentiæ est, cum multa se in pectus illius insinuarent, omnia, quæ animi calor admittebat, in vulgus publicavit. *Ita* permagnum adiit nominis sui *periculum*. ut omittam, quod nimius fuerit cum in laude virginum, tum in vituperatione nuptiarum. Marcioni enim & Manichæo favere visus est: &, dum unum latus protegit adversus Iovinianum, in altero vulnus accepit à spurcissimis hæreticis. Quare Pammachius, summus amicus ejus, plera-

que

que exemplaria suppressit. & ipse pro se scripsit apologiam, adeò pulcram medius fidius, uti jam in sanctissimo viro illud continentiæ vehemens & acre studium non feram modo, sed amem quoque. Quod enim plerique maledictum ingens existimant, eam ego laudem duco maximam. Modus quidem tenendus est, fateor: sed quia difficile est temperamentum, quidquid æquo plus futurum est, in hanc potius partem præponderet. Sed iterum longius, quàm decet, recessimus à proposito. crescet in immensum nostra commentatio, nisi in posterum magis presse insistamus lineæ. Circumcisio per quadraginta annos, dum in Arabum desertis errabant Hebræi, omissa est. Etenim, quoniam sæpe movenda castra erant, ægrorum imbecillitas ex recenti vulnere moram injecisset profectioni. Accedit, quod in vastissimis illis locis nullæ erant gentes, quibus misceretur sacer populus. quare distinctione & notis neutiquam opus erat. Interea tamen, quoniam circumcisos prosequebatur singularis quædam numinis benignitas, utique valde infelices videri possint, quos in solitudine natos fati vis extinxit acerbo funere. Sed nobis sacri codicis con-

contextum acrius inſpectantibus nulla adhuc reperta ratio eſt, cur in deſerto crederemus aliquos periiſſe, qui nati ibidem eſſent. Illud conſtat, eorum omnium, quos ex Ægypto Moſes eduxit, neminem, exceptis duobus, in Palæſtinam veniſſe. Itaque, quod ſummus populi ductor Ioſua, cum Iordanen tranſiiſſet, Iſraëlitas denuò circumcidiſſe memoratur, id verò ad eos pertinet, qui circumciſi nondũ fuere, quia nati in deſerto erant. Repetita tamen circumciſio dicitur, quia revocabatur mos, qui uſurpatus olim in Ægypto, ac dein intermiſſus, poſtremo penitus abierat in deſuetudinem. At Hieronymus præter rem hîc ſe fatigat, & nodum quærit in ſcirpo, cum diſputat, qualis ea fuerit circumciſio, quam repetiverit Ioſua. *Nam ſi juxta literam illud accipimus*, inquit, *penitus ſtare non poteſt. non enim exciſa pellicula iterum naſcitur.* Aliqua via elabendum fuit. in rebus creperis fortiſſima quæque conſilia tutiſſima ſunt; & capienda hîc præceps via eſt. Igitur, uti nobili aliquo facinore ſeſe expediat, *cultellum quendam Euangelicum* fingit in hac iterata circumciſione; neque aliud hercle ſignificari ait, niſi mundationem animorum. Eſt hæc non

non exigua hallucinatio. & tamen ipsi commentum placet. Cæterum, quod dixi eos, qui nati in deserto sunt, incolumes evasisse cunctos in Palæstinam, conjectura modo nostra est. putamus enim, non asserimus. Si qui tamen interea temporis, dum intermittebatur circumcisio, mortui forte sunt, his non minus propitium fuisse credimus numen, quam illis, queis natura finem vitæ fecit antequam institutus solennis hic ritus esset. Idem de infantibus quoque judicandum est, quos dulcis vitæ exsortes, & à matris ubere ante octavam lucem raptos, abstulit atra sors. Quapropter ridicula est verporum hodie superstitio, qui pueros sic extinctos, circumcidunt tamen apud sepulcrum. Quoniam omnia persequimur, (volumus quidem certè) dicendum est etiam, cur circumcisioni octavus sacratus dies sit. Nimis longe arcessitum est, quod plerique hîc de ætate octava ajunt, quæ vitæ æternæ redditura mortuos est. Mysteria ex rebus quibusque obviis & apertis effodere, eorum est, qui via hominum pervulgata sapere fastidiunt. Quæ res sæpe excidit in febriculosam putiditatem. Nos non inventionum acumen, sed rerum pondera amamus.

Cunctæ animantes, cum recens natæ sunt, quia brevem lucis usuram habuêre, & incertum adhuc est an vita illis vitalis sit, ante octavum diem vix in censu animantium æstimantur. ad hoc, nondum spurcities diffluxit, quæ ex utero illis, atque ex partu credita est adhæresce re. Ea causa est, cur ex hoc genere mactari victimas sibi vetuerit Deus, cui ingratum est, quicquid semiperfectum aut impurum est. Extat edictum in Levitici capite vicesimo & secundo; *Bos, ovis, & capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ. die autem octavo & deinceps offerri poterunt domino.* Igitur, quoniam etiam circumcisio velut quoddam solenne sacrum fuit, per quod puerorum surgentem spem consecrabant numini, plane oportuit hîc eandem oportuni temporis legem esse. Placuit autem octavus dies, non ob arcani vim, quæ in numero esset: sed quia nec ante peragi sacer ille ritus potuit, &, ut diutius differretur, haud necesse fuit. Quod si dies post octavum quivis alius ex parentum fuisset delectus libitu, jam metus erat ne supinitate hominum & socordiâ quotidie res in deterius iret. Ita enim fit in vitâ. Primum prolatatio & ignaviæ quædam

dam dulcedo allubescit: mox contemptio succedit atque neglectus. Neque vero ipse sabbati dies, si octavus à natali esset, exceptus fuit, quamvis ab omni alio opere continerent tunc manus suas Iudæi. Verba facit hac de re ipse Messias in capite septimo Euangelii, quod scriptum reliquit Divus Ioannes. Quæ de circumcisione dicenda erant, persecuti pleraque sumus. nisi libêret nobis Thomam Aquinatem & alios præstantissimos quosdam scriptores refellere, qui circumcisioni adhibitum à Tzippora & Iosua cultellum ajunt, non ferreum, sed lapideum; eâque re significari Messiam, salutis auspicem, existumant, de quo divus Paulus illud pronuntiat, ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός. *petra autem erat Christus.* Sed nos ab hac porrigine ungues continebimus, cum positum in laude commentantium sit, rebus illustribus immorari. Cætera iis relinquenda sunt, qui palmarium petunt ex ignobili labore.

CAPVT VI.

De religione Iudæorum. Cur Iudæi nubium & incerti numinis cultores habiti olim sint. Quid illud in Petronii Cataléctis sit, cœli auriculas advocare. *Non esse id Cœlicolis dictum. Athenienſium calumnia in Socratem. Ara ignoti Dei apud Athenienſes. Iudæorum inexpugnabilis conſtantia in unius numinis cultu poſt templum ſecundum.*

ETſi omnibus locis adeſt Deus, mortaliumque audire vota ubique poteſt; tamen edicto legis Moſaicæ ſancitum eſt, uti, cum populus Hebræus in Cananæam perveniſſet, una modo urbs eſſet, in qua ſacra publica, privataque, atque omnes cæremoniæ peragerentur: illuc cuncti ex tribubus atque oppidis ſuis ad religionum ſolennia convenirent: ibi primitias offerrent; Deum caſte adirent; ſancte vota redderent. Nos, quoniam de ſtatutis Moſaicis quædam diximus, utique prætermittere jam hoc non poſſumus, quod maxime habuit neceſſitatem legis. Extat illud edictum in capite duodecimo Deuteronomii, pertinuitque ad ſolos Hebræos, quorum infirma mens ad cultum numinis facillime

cillime excitabatur, quum sacrificiis solennibus non dies magis stati, quam loca essent in quibus fierent. Religionum sedes hæc, Hierosolyma fuit, postquam Silonem spreverat Deus. Et initio quidem tabernaculum quoddam erat, quod præsentior insidebat numinis vis. Tandem Salomo, rex sapientissimus, auspicato inauguratoque templum condidit immensæ opulentiæ. Ibi altare, & arca cum insignibus sacri fœderis erat: ad hoc, alia multa, quæ adjiciebant aliquid receptæ religioni. Quisquis desideria sua numini exponere, quisquis vel opem ab illo, vel delictorum impetrare veniam vellet, is ad templi atrium accedebat. nusquam magis propitius mortalium preces exaudiebat Deus. In Ioannis Euangelio Samaritana mulier ad Messiam ait, ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐν Ἱεροσολύμοις ἐστὶν ὁ τόπος ὅπου δεῖ προσκυνεῖν. *Vos dicitis Hierosolymis esse locum illum, ubi oporteat adorare.* Et alibi dicitur, ἄνθρωποι δύο ἀνέβησαν εἰς τὸ ἱερὸν προσεύξασθαι, ὁ εἷς Φαρισαῖος, καὶ ὁ ἕτερος τελώνης. *homines duo adscendebant in templum uti adorarent: unus Pharisæus, & alter publicanus.* Neque vero erant hac religione soluti, qui in dissitis locis vivebant, queisque

adire non contingebat ſacram urbem. nam & illi, cum Deum adorabant, id quod unum in tali re fieri potuit, ad ædem Hieroſolymitanam ſe convertebant. aliter nefas erat. Daniel quidem certe, Babylone, cum ter in diem genibus flexis ſupplicaret numini, feneſtras cænaculi aperiebat, locabatque ſe Hieroſolymam verſus. Ipſe Salomo, in ſacro illo carmine, quo conſtructam à ſe pulcherrimi operis molem dedicabat, plane futurum ſpopondit, ut ipoſteri ad templum ſeſe obverterent, quoties aut ab hoſte capti in alias terras abducerentur, aut malis afflictarentur extra patriam. Verba ejus luculentiſſima extant in libro primo Regum, in capite octavo. Eſt etiam apud Ezechielem infenſus Dei ſermo in eos, qui tergis ſanctuario oppoſitis Orientem adſpiciebant precantes. Quem locum eruditiſſimus Rabbi Iarchi interpretatus eſt perquam feliciter. Porro, templi adyta, præter ſummum ſacerdotum, videbat nemo. Primus Romanorum Cn. Pompeius, cum ex Aſia victrices circumageret copias, debellatis in tranſitu Iudæis, templi penetravit intimos receſſus. Ex illo tempore vulgatum eſt, inquit Tacitus, *vacuam eſſe ſedem, & inania arcana.* Enimvero

vero tenuerat antea mortaleis opinio, esse intus numen aliquod, Apin, Ammonemve, aut Anubin, cujus nomen inter ipsos modo notum pronuntiari apud exteros profanosque fas haud esset. At postquam Pompeius, jure victoriæ, adyta reseravit, palam omnibus factum est, de nihilo esse tot sacra, totque cæremonias, siquidem neminem Deum præcipue colerent. Hoc voluit Cornelius Tacitus: ex cujus sententia illud Lucani est explicandum;

——*Et dedita sacris*
Incerti Iudæa Dei.

Ab eadem fama jactatum vulgo in Iudæos est, esse eos nubium & cœli cultores. Certe apud Rabbinos, cum decem sint Dei nomina, in eorum numero השכינה *habitatio* ponitur & המקום *locus*, & השמים *cœlum*. Quam usitata autem illis res esset, jurare per cœlum, non potest ignorare qui divi Matthæi verba legit in capite quinto, ubi istum morem reprehendit servator hominum Messias. Cæterum, non possumus hic assentiri Iosepho Scaligero, viro illustrissimo, cujus admirabilem in omni doctrinæ genere excellentiam jure veneramur. Is, cum apud veteres scriptores crebra sit mentio sectæ cujusdam cœlicolarum, qui fuere

semichristiani Iudæi, de iisdem putat loqui Petronium in Catalectis,

Iudæus licet, & porcinum numen adoret,
Et cœli summas advocet auriculas: &c.

Quod secus est. pertinet enim non ad hæresin quandam sectamve Iudæorum, sed ad Iudæos cunctos. Neque aliter accipi potest id, quod subjicitur,

Ni tamen & summas præciderit inguinis oras,
Et nisi nudatum solverit arte caput,
Exemptus populo, [1] graja migrabit ab urbe,
Et non jejuna sabbata lege premet.

Sanè fuit hoc commune convitium, quod ridiculè confinxerunt Romani, ut invidiam facerent Iudæis, quasi nil præter aërem colerent, qui colere omnium aliarum gentium recusabant deos. Sed non tunc primò id factum est. Iam enim antea Athenienses quoque per summam malevolentiam, Socra-

[1] *Legendum est* sacrâ. *vel, ut alii,* gratâ. *sed prius malo.*

cratis numina esse dixerunt nebulas, & fluida elementa. Omnia, quæ Aristophanes in scena lusit, nihil nisi vulgi voces fuerunt,

Ὦ δέσποτ' ἄναξ ἀμέτρητ' ἀήρ, ὃς
ἔχεις τὴν γῆν μετέωρον,
Λαμπρός τ' αἰθήρ, σεμναί τε θεαὶ νεφέ-
λαι βροντησικέραυνοι.

Et mox,

Αὗται γάρ εἰσι μόναι εἰσὶ θεαί, τἄλ-
λα δ' πάντ' ἐστὶ
Φλύαρος.

Spernebat vir sapientissimus eos Deos, quos colebat civitas superstitionibus obnoxia, religioni adversa. Hoc cuncti cives ultum ivêre putido maledicto. Dum isthæc de Socrate scribimus, aliud nobis in mentem incidit, sed quod magis ad propositum nostrum facit. Proprium & peculiare vitium fuit Athenienſium, laborare multitudine numinum: usque adeò profectò, uti etiam Israëlitarum verum illud & ineffabile numen colerent, sed nescientes. Aram enim posuêre ἀγνώστῳ θεῷ, *ignoto Deo*. De qua re extat narratio in commentariis Actuum Apostolicorum, in capite decimo & septimo. Vi-

dit hoc divus Paulus, & miseratus est. itaque juvit eorum insciti am, & fidenti oratione in medio Areopago ad cives dixit, ὃν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. *Quem vos ignorantes colitis, hunc ego vobis annuntio.* Non sine ratione hoc dixit Apostolus. Etenim, cum appellationes amplius non poterant reperire numinum, quæ colerent, colebant ignotum aliquod. quare cum nullus esset falsus Deus, cui posita Athenis non erat ara, restabat uti hic unus, qui ἄγνως & *ignotus* erat, esset verus. Nam divo Paulo quidem, qui talem fuisse affirmat inscriptionem, magis credimus, quàm Hieronymo, aliisque, qui de titulo nescio quid diversum tradunt. Iudaicæ religioni honorificum testimonium Tacitus, etsi aliud agens, dedit, cum ista scriberet, *Iudæi mente sola, unumque numen intelligunt, summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum.* Non poterat grandius aliquid homo paganus dixisse. Habet hoc sacratissimæ religionis majestas. ornamenta sua etiam ab illis capit, qui contemnunt. Sed id tamen sæpius factum est alia quadam ratione. Caius Agrippæ filius, Iudæam prætervehens, apud Hierosolymam non

non supplicaverat. Placuit numini, ut hoc, quod adolescens ex principe domo deliquerat, tota Roma lueret. quippe inopia, fames, & summa annonæ caritas urbem attrivit. itaque errorem suum Octavius agnovit, qui nepotem suum Caium collaudaverat. Certè admodum illustre pœnitentiæ documentum ab Octavio datum ex Agrippæ regis oratione ad Caligulam colligimus, quam Philo recitat in libro de legatione. Ait ille, sacrificia Hierosolymæ quotidie supremo Hebræorum Deo facta fuisse de pecunia Augusti. Ita jusserat is princeps, qui constantissimè per omnem vitam aversatus peregrinas cæremonias est. Nimis ridiculè faciunt, qui hîc in dubium vocant Agrippæ fidem. Etenim profectò homo Iudæus non impune tulisset tam futile mendacium, apud Caium, & in eâ urbe, ubi recens adhuc omnibus hærebat memoria Octavii. Non minus præclarum est, quod de Alexandro Magno refert Flavius Iosephus, in Antiquitatum libro undecimo. Sed non libet nobis omnia recitare. Satius est persequi quæ suggerit Tacitus noster. Inter cætera illud est: *Iudæi profanos credunt, qui Deûm imagines mortalibus materiis in species homi-*

hominum effingant. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt. Putes Tacitum deditâ operâ Romanos suos stultitiæ damnare. adeò gravitatem asseverat, dum hæc dicit. At in Plinio haud idem studium videas. nam velut fauens publico errori illud dixit, *Iudæa gens, contumelia numinum insignis.* Sunt in libris Mosaicis multa edicta, quibus idolorum veratur cultus. Ne aurum quidem idolis argentumve auferre fas fuit. Quanquam non potest violatæ legis reus videri summus rex David, qui capiti suo imposuit coronam Molochi, quippe acceperat à Iethæo Philistino. & purgatum jam erat vitium rei, quæ dominum mutaverat, ac præda fuerat non hominis Hebræi, sed alienigenæ. Sæpe infractam Iudæorum admirati virtutem sumus, quos Romani compellere non potuerunt, *uti* imaginem reciperent Cæsaris. Subegerat rerum dominus populus non Iudæam modo, sed Asiam Africamque: & prolata jam tanti imperii reverentia ad illos quoque erat, qui alium solem, alia sydera intuebantur. Vna Iudæa aliquid negare ausa victoribus est, qui auferre vi, quod non impetrant, solent. quippe potestas, non modo

modo si invitet, sed etiam si supplicet, cogi-. Primum experimentum tenacissimi propositi datum sub Tiberio est. Sed tunc id modo agebatur, uti in urbe locarentur statuæ. & cito destitit præfectus, cum non poterat hoc, uti erat cœptum, pertendere. Mox Caius etiam inferri templo voluit; & recusantibus minitatus extrema est. Accessit tandem numinis cœleste auxilium. quippe Petronius, qui provinciam tenebat, nuntium de Caii morte multo ante accepit, quam eas literas, quæ tribus mensibus ante scriptæ, excidium jubebant sacræ gentis. Et sane significaverant hoc Caio Iudæi, malle se cum urbe penitus deleri, quam admittere, quod foret contra edictum divinæ legis. Tanta cupido glorioſæ mortis non in proceribus modo, sed in plebe quoque, atque in mulierum apparuit sequiore sexu.

Caput VII.

De vatibus, deque divino afflatu. De Elia. An vates furore correpti, & mentis impotes fuerint, cum futura canerent? Montani dogma, & mulierculæ fanaticæ, quas instruxit ille. De Delphicis vatibus, deque impostura, & artibus, quæ illis in usu. Ficta cum numine

mine colloquia. Hæreticorum veteres doli: & de Valente Arrianorum duce. De Esaia, deque Ieremia. Iudæorum vesana opinio, Danielem vatibus non esse annumerandum. Inutilis aliorum contentio super ea re. Cratetis affectata pauperies. Eliæ & Ioannis Baptistæ comparatio.

DVabus rebus, ante Messiæ adventum, ad recta compellebatur sacer populus; legum sanctionibus, & oraculorum terrore. Itaque potissimam sacri codicis partem cum edicta Mosaica, tum vatum scripta occupavere. In divi Lucæ Euangelio dicitur diviti cuidam purpurato, *Habent Mosen & prophetas. illos audiant.* Ac de legibus quidem antea dissertatio nobis fuit. nunc postulare res ipsa videtur, uti etiam de vatibus aliquid dicamus. Vates ii erant, qui iram numinis peccanti populo denuntiarent; quique miracula ederent, & futuros rerum prædicerent eventus. Inter vates insigniter eluxit sanctitas & celsa quædam virtus Eliæ, qui, uti Deum totum admitteret, hominem exuerat: &, cum in desertis locis duram atque asperam ageret vitam, ad civium cœtus non adibat, nisi ut corrigeret, Eliæ vaticinia plera-

pleraque, cujus generis fuerint, difficile dictu est. pauca duntaxat in libris Regum sunt, sed quæ de Messia nullum perhibent testimonium. Scripta illius, si quæ fuere, Achabus suppressit. Non enim extant in manibus hominum. Cæteri ferme, quos sequens tulit ætas, oracula sua literis consignavere. Habent autem eorum libri tam infallibiles prædictiones earum rerum, quæ multis post seculis contigerunt, uti non alio argumento magis defendi sacræ scripturæ debeat divinitas. Non ea scientia constare studiis, arte, aut præceptis potuit. quicquid dictum illic est, à numinis instinctu fuit. Zacharias quidem, Daniel, Ezechiel, quid aliud, quam cœli commercia habebant? Sæpe inter angelos esse se cernunt, loquuntur cum iis, populorum fata discunt. Ad summam, vere illis contigit, transilire mortalitatem suam. Atque hæc causa est, cur in libris eorum, sermo numinis ad eos ferme cum hac præfatione sit, *Audi, fili hominis*. periculum enim erat ne insolescerent, & caducæ sortis suæ fierent immemores. quicquid leve atque inane in animis est, inter res tantas atque tam insitatas, sese extollit. Cæterum neutiquam est existimandum, fuisse vatum men-

mentem extra se raptam, plane uti impos sui esset, atque ut ipsi ea nescirent, quæ loquerentur. *Spiritus vatum, ipsis subjectus est*, ait divus Paulus. quod secus esset, si frænos morderet, & rectorem suum raperet, ferretque extra rerum terminos. Celebre est illud Messiæ, *Multi vates cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audiverunt.* Sane desiderare non potuissent, quæ penitus ignorabant. Res quidem præsentes oculis cernuntur: quod illis non contigit. at futuras mente intuiti sunt. Ioannem omnibus prophetis majorem ideo prædicavit Lucas, quod, quem cæteri venturum cognovere, ille digito monstravit coram, dixitque, *Hic est.* Hoc unum discrimen est. non ecstasis in illis, non animorum alienatio raptusve fuit. Montani delirium olim hoc fuit, quod ille obtrudere mortalibus nitebatur, uti fraudibus suis nubem objiceret. Maximillam enim & Priscam, mulierculas insanas & bacchantes, velut in scenam adduxit, quæ in illo mimo partes secundas tractarent. Furere, & incompositis motibus agitari, eorum est, quorum os rabidum fatigat impurus genius, domatque corda & fingit premendo.

Etsi

Etsi hujusmodi homines sane omnibus seculis pauciores fuere, quam vulgo creditum est. Dolus plerumque, & impostura fuit. facile sub persona furor simulatur: facilius quidem profecto, quam mens sana. Vatibus Delphicis quæstui erant animi hominum superstitione capti. Habebant per omnem Græciam emissarios suos, qui res & fortunas cujusque discerent. mox consulti, respondebant cuique convenientia. Inerant tamen dictis latebræ, & poterat eventibus interpretatio aptari. Marcus Tullius, cum disputat cur jam pridem Pythii Apollinis cessaverint oracula, causam adfert verissimam, quia minus esse creduli homines cœpissent. Nam quod vetustate extinctam vim loci dicant, nihili esse, cum nulla vetustas vim divinam conficiat: ac Demosthenem vero, ante trecentos annos recte istud dixisse, *Pythium φιλιππίζειν*. Non pluris fuerunt Ammonis responsa, Prænestinæ sortes, & alia de hoc genere. Atque in eundem ordinem igitur adscribimus Montani insanas fœminas. Fuere hæreticis nimium usitatæ istiusmodi artes. Qui opinionum fingunt portenta, nunquam illis bene procedit inceptum, nisi advocetur ex machina

Deus. Arrianorum dux Valens, *postquam* perſuaſerat Conſtantio, *fuiſſe* ſibi cum angelo ſermonem, altius dehinc ſemet extulit, principiſque abuſus ſimplicitate ad ſua libita eſt. Sed faceſſant illi. non enim id nunc agebamus. Inter eos vates, qui de Meſſia ſcripſere, perquam diſertus eſt Eſaias. oratio ejus erudita ubique, & majeſtatis plena, facile oſtendit, *qua eſſet* natus origine. Vir enim nobiliſſimus, & principum conſanguinitate clarus, artes omnes ſcientiaſque didicerat, quibus ingenia ad magnę fortunæ cultum excitantur. Liber autem ejus non tam vaticinia continere, quam Euangelia videtur. Res eſſe pridem geſtas, non futuras, putes. Ieremiæ omnis majeſtas poſita in verborum neglectu eſt. adeo illum decet ruſtica dictio. multa ille effatus in Aſſyrios eſt, quos identidem per columbam *deſignavit*. quippe fuerat hoc Semiramidis אורת דגל *ſymbolum*, uti erudite cenſuit autor Iudæus, cujus liber מאור עינים extat hodie. Cæterum, vaticinandi virtute nemo præ Daniele eſt. docet enim quo tempore ſit venturus Meſſias, & regum ediſſerit ſequentium ſeriem, annoſque numerat; &, ne quid deſit, etiam prænuntia addit ſigna.

Quæ

Quæ omnia ejusmodi sunt, uti Porphyrius, cui studium fuit isthæc eludere, nesciverit quo se verteret. quippe arguebat eum manifesta rerum fides. igitur ad calumniandum redactus est. quod ipsum adeo frigide fecit, uti cordatis hominibus gravedinem moverit & tussim. Defricanda hic nobis paulisper Iudæorum insulsitas est. Prodidit jam olim sanctissimus Hieronymus, Danielem ab illis non inter vates, sed hagiographos poni. Mea sic est ratio, & sic animum induco meum, esse hoc ab illis perquam inepte factum; siquidem hercle tot & tam illustria sunt illius viri vaticinia. Et nuper quidem hæc res disceptandi causam dedit viris duobus hac ætate eruditissimis, cum vatem unus esse, alter haud sic sensisse Iudæos assereret. Quæ profecto contentio non est tanti. Ego, non quid fecerit olim vesana gens verporum, sed quam recte fecerit, id vero exquirendum arbitror. Quid autem affertur tandem, cur hoc laudemus? Ratio quidem aut causa nunquam à Iudæis exposita est. aut, si est, legisse me non memini nunc. At divinatur tamen, & conjectura fit, ut in re crepera. Nempe, audio, quia in aula atque in regum cultu ætatem egit: quia po-

liticus fuit, & vatem professus non est. Atqui nec professus hagiographum est. Et cur igitur illum hagiographis adscripsere? Vtique hoc friget. Iam vero, quæ res vetet eundem amicitiâ principum florere, & simul vatem agere, nondum intelligo. Ipsi Rabbini, Iudæorum columina, vulgo illud ajunt, אין הנבואה שורה אלא על אדם עשיר *Prophetiam non recubare nisi super divitem.* itaque suo se gladio confodiunt. & nos scimus, Davidem olim, aliosque, qui summum imperium tenerent, res futuras sacro afflatu cecinisse. Miseros vero vates, si nominis hujus honorem nemo tulit, nisi qui cum baculo aut pera ambularet. Apud Aristotelem Crates, ambitiosus sapientiæ affectator, paupertate & sordibus gloriatur illis verbis, σὺ οἶδα, πήρη δύναμιν ἥλίκλων ἔχει, θέρμων τε χοίνιξ. *habet nescio quam vim pera, & lupinorum modius.* mendose profecto, me judice. etsi ille veritus est peram quoque illam carmine celebrare, flexis leviter ad eam rem versibus Homericis, quibus nobilitata Creta est,

Πήρη τις γαῖ' ἐστι μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι τύφῳ,
Καλὴ καὶ πίειρα, φερέοικος, οὐδὲν ἔχουσα.

Pera

Pera est tellus quadam in medio nigri fumi sita,
Pulcra, pinguisque, & undique madida, sed nihil habens.

scilicet, quasi illuvies sapientiam gigneret, aut bonam mentem. pluris erat una Creta, quam ter mille peræ. Sed nobis fas haud est inter seria jocari. Illud iteramus, solennia deliraſſe Iudæos, cum Danielem ex eo ordine eximerent, quem ille maxime honestat. Nunc ad propositum revertamur. Vaticinatus est Daniel in exilio Babylonico, quemadmodum & Zacharias, Aggæusque, &, qui postremo hos sequitur, Malachias. Qui viri ubi decessere, omnino vaticinandi illa vis apud Iudæos cessavit. donec tandem Ioannes Baptistes prodiit, qui Malachiæ longo sed intervallo proximus fuit. Is simul & vatum ultimus extitit, & euangelisantium primus. Vatem certe fuisse, significatum est verbis cantici, quod apud Lucam pater grandius ore mortali sonat, καὶ σὺ παιδίον προφήτης ὑψίστου κληθήσῃ. προπορεύσῃ γὰρ πρὸ προσώπου κυρίου, ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ. *Tu vero, fili, propheta altissimi vocaberis. Eris enim Domini anteambulo, uti viam illi pares.* Extat Malachiæ oraculum in

hæc verba editum, *Mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Iehovæ maximus & verendus.* Eliam illum optimus oraculorum interpres Messias non esse alium, nisi Ioannem, indicavit. Est autem alteri alterius nomen commodatum à vate, propter summam, quæ inter utrosque est, similitudinem. Cinctura & vestis eadem fuit. Iesabelem ille, hic Herodiadem offenderat libertate increpationis. Vasta ambo & inculta loca, procul à mortalium profana multitudine, habitavere: plane uti profectum ab illis videatur pium & laudabile veterum Eremitarum propositum. Adde, quod idem numinis afflatus, & eodem pacto utrumque inflammavit. Neque illud vane dictum ab angelo est, *in virtute Eliæ venturum.* Messias quidem, cum in monte quodam, discipulis coram, in cœlestem quendam habitum se induceret, Eliam ad familiarem sermonem adhibuit. id quod apprime glorioſum fuit. cæterum, qui Ioanni datus ab eodem honos est, haud minor erat. negat enim quenquam hominem natum esse, qui eum antecelleret. Ita ille acerrimus rerum judex luculentum dedit testimonium ei homini, qui natus erat quidem omnium ultimus,

sed

sed tamen vaticinari ante cœperat, quam natus esset: qui integritatis exemplar fuit, totus innoxius, totus sacer: denique, cujus apud sepulcrum Paula, fœmina sanctissima, vidit quondam dæmones cruciari. Hieronymo enim, qui illud indubitanter affirmat, haud deroganda fides est.

Caput VIII.

De Cabala, sive, de lege, quæ scriptis mandata non est. Quo pacto resecandi sint nodi, qui in locis parallelis latent. Quam sobrie utendum sit anagogis & mystica interpretatione. De Iudæis Karraitis, quorum factio præ cæteris cordata est, & fugitans ineptiarum. De opibus eorum.

Legem Iudæi duplicem habent, quarum altera scriptis mandata, altera autem verbis duntaxat edita quondam est. Et de ea quidem quæ scripta est, pauca quædam, quæ offerebant sese nobis antea, retulimus. Superest Lex altera, hoc est, Cabala, sive ea doctrina, quæ licet à summo numine tradita sit, tamen in tabulas relata non est, ob hanc causam, uti plebs Iudaica, quæ tunc adhuc rudimentorum decurrebat spatia, arcanos sacrorum

voluminum sensus admiraretur potius, quàm intelligeret. Didicerat Moses mystica quædam legis interpretamenta, dum in monte Choreb sermonem cum Deo sereret. Hæc post illum aliis data commissaque fuêre, qui Spiritu sacro agebantur. Absit enim, uti nunc Cabalam appellem putida quædam deliria, & nugas plus quàm aniles, easve expositiones, quas ante Christi ævum, & diu post illud Iudæorum magistri quidam, febriculosi mortales, ceu mysteria alii aliis tradidere. Longè hoc aliud est. Ego veram Cabalam appello, mysticum intellectum earum rerum, quæ in sacris libris latent. Is intellectus, cum antea penes vates fuisset, sed non vulgandus mortalium seculis, tandem divino munere Apostolis & Euangeliorum concessus scriptoribus est, uti, quod diu latuerat, publica voce illorum proderetur universis. Itaque Cabalam, non cum vulgo eam dico, quam alii aliis tradidere, sed quam cœlitus acceperunt viri sancti. est enim קבלה *acceptio*. Divus Palus, qui ad pedes Gamalielis sederat, eaque didicerat omnia, propter quæ superbirent Iudæorum eruditissimi, tunc demum Rabbinicam didicit Cabalam; cum jam Apostolus factus, didicerat veram.

veram. nesciebat enim antea, τὸν νόμον εἶναι πνευματικὸν, *legem spiritualem esse*. Danda est mihi paulisper opera, uti hæc manifesta sint. In Numerorum libro quædam de principibus & ducibus, deque tribunis & centurionibus referuntur. Ea narratio historica est. neque aliter tunc eam accepere Hebræi. At D. Paulus sublimiore sensu illa verba intellexit, &, quod illis inest secretum, publicavit, cum ad Ephesios scriberet, *esse in cœlis principatus, esse dominationes, esse potestates atque virtutes, & alia ministeriorum vocabula*. Etenim nefas sit, Paulum, qui sacra volumina accurate, si quisquam alius, perlegerat, quidquam dixisse, quod in illis scriptum non extaret. Non veremur nos hîc Hieronymum sequi, qui planè sic opinatus est. Verùm, age; proferamus alia quædam, quæ plurís sint. Certè illud confutari non potest, quod jam dicam. In Deuteronomii capite tricesimo, sapientissimus legislator Moses, extrema oratione, qua populum allocutus est, sic inquit, *Præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est occultum à te, neque longinquum. non est in cœlis, ut dicas, quis ascendet nobis in cœlum, & capiet illud nobis? neque est trans mare, ut dicas, quis transibit mare,*

& accipiet illud? propinquum est tibi verbum hoc valde, in ore tuo & in animo tuo, ut facias illud. Nempe hoc ait, non esse Hebræis longe eundum, uti scisciteutur numinis voluntatem, quippe in medio eorum esse legem. Hæc omnia Divus Paulus in Epistola, quæ ad Romanos scripta est, in capite decimo, aliovorsum traxit, & de Euangelio interpretatus est. Ac primo quidem spectavit verba Mosis, quæ in Leviticicapite decimo & octavo extant. [1] Itaque ait, *Moses describit justitiam, quæ est ex lege, quod, qui præstiterit ea, vivet per illa.* Hic simplici sensu verba legislatoris accipit, uti sonant. Subjicit dein alia ejusdem verba ex Deuteronomio, non præter mentem quidem ejus, sed longe tamen aliter, quam intellecta non dicam ab Hebræis, sed à cunctis mortalibus fuerant usque in illum diem. [2] *At, quæ ex fide est, justitia, ita dicit: ne dixeris, quis ascendet in cœlum, aut descendet in abyssum? prope te enim verbum est in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei, quod prædicamus.* Valde errant, qui hic nihil nisi quandam esse verborum allusionem

[1] *In epist. ad Rom. cap. 10. v. 5.* [2] *Ad Hebr. cap. 10. vers. 6.*

nem arbitrantur. Duplicem enim esse justitiam Apostolus, autore Mose, ait, alteram ex operibus, alteram ex fide. Vnum testimonium legislatoris citat, משמעי על, *uti sonat*: alterum Cabalice, מרשו על, hoc est, ex sensu quidem Mosis, sed mystico. nam postquam verba ejus retulit, addit,[1] *Hoc est verbum illud fidei, quod prædicamus.* Nos hujusmodi expositionis modum etsi non intelligimus, tamen, quia à spiritu Dei est, rectum esse credimus & verum. Etiam in verbis, quæ extant in capite secundo Geneseos, agnoscimus Cabalam. Quod enim ibi dicitur, *relinquet homo patrem matremque, & adhærebit uxori*, ex illo ignotum mortalibus sacramentum revelat idem Apostolus, in capite quinto Epistolæ ad Ephesios: *mysterium hoc magnum est: loquor autem de Christo & de Ecclesia.* Plura ejusmodi in illo luculento scripto sunt. Est enim profecto Epistola ad Ephesios plena mysticis atque abditis sensibus. id illi singulare contigit. Cæterum haud credendum est, Cabalæ esse locum in solis legum libris. Latius enim ea res patet. Quidquid fatidici vatum libri, quicquid hagiographa continent, ejus est duplex significatio; una

[1] *Ad Rom. cap.* 10. *v.* 8.

nuda, quæ פשוט recte dicitur, altera obscura latensque, quam vel אגדתא vel דרש appellare licet, quia eruenda, vestigandaque est. Vetus est Rabbinorum verbum, אין מקרא יוצא מידי פשוטו אבל יש לו פשוטו עם מדרשו ואינו יוצא מידי כל אחד מהן Sententiam duntaxat referre libet, ne nobis necesse sit [1] βαρβαρίζειν. *Nusquam*, inquiunt, *scriptura est absque sensu simplici. sed habet pariter, ut mysticum, ita & simplicem. his duobus non est ut careat.* In octavo Psalmo, de hominum excellentia agitur, qui dominatum in cætera animantia tenent, & propemodum dii sunt terrestres. At D. Paulus [2] Davidem locutum ait de altero mundo, deque Christo, qui illic rerum potitur. Nemini istud post natos homines in mentem venisset. adeo diversa sunt. nunc nihil indagemus ultra. expositio Cabalica est. hoc satis esto. Eadem arcana edoctus Matthæus fuit. Etenim beatam virginem, metu Herodis, in Ægyptum asportasse filiolum, & mortuo rege rediisse ait, eaque re effectum esse id, quod olim prædixerat vates, *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Atqui

[1] *Barbare loqui.* [2] *Epist. ad Hebr. cap. 2. v. 5. & 6.*

qui Hoseas, quidquid se versant fatigantque eruditi quidam interpretes, non de Messia, sed de populo Israëlitico locutus illic est, quem eduxit ex Ægypto quondam Deus, quemque filium suum non semel alibi, & primogenitum appellat. Itaque expositio, quæ apud Matthæum est, tota est mystica & Cabalica. neque aliter profecto existimandum est, nisi vim facere apertæ orationi, aut fingere ipsi nobis quasdam chimæras volumus. Nihil nobis facilius esset, quam illud multis argumentis evincere. Sed breves esse laboramus. Profecto, nulla res omnibus cordatis viris plus negotii facessit, quam recta interpretatio testimoniorum, quæ ex lege & vatum ex libris in sua scripta transtulere Apostoli. quippe multa aliena videntur atque omnino usurpata præter mentem Mosis atque vatum. quæ qui defendere alia via, quam ista, studeant, frustra sunt. Et tamen haud ignave jam ante à præclaris viris elaboratum est, uti consonare omnia & quiddam habere convenientiæ inter se atque similitudinis viderentur. Sed pace eorum dixerim, non explevere nobis animum. Nam qui hæc nihil nisi allusiones esse quasdam volunt, næ illi haud intelligunt se ni-

se nimis frigide excusare Apostolos. Cur enim citant Mosis & vatum verba? nempe, si verum amamus, ob hanc causam, uti fidem faciant suis scriptis. At quam fidem facient, si mala fide usurpent authorum dicta? denique, si sensum eorum aut torqueant, aut, quod pejus est, pervertant? Adde, quod ipsi profitentur plerumque, se illos testes citare, &, factum esse illud, quod illi quondam vaticinati erant. Bene atque in tempore jam ante dixi, clausum usque in eam diem fuisse sacræ scripturæ librum, cujus signacula solvit leo ille de tribu Iudæ. Hoc iterandum fuit. Scitum est istud, δὶς καὶ τρὶς τὸ καλὸν, *bis & ter repetatur quod pulchrum est*. Enimvero, leo ille, Messias est, qui divina vi atque quadam inspiratione Apostolis dedit mysticum intellectum earum rerum, quas nemo quisquam assecutus fuerat. Nos ea, ad quæ mens nostra imbecilla haud ascendit, sola admiratione veneremur: &, quoties causas rationesque istiusmodi probationum non cernimus, dicamus, Cabalam esse, non illam ineptam Iudæorum, sed hanc, cujus author Deus est. Hoc unum asylum supereſt, ad quod confugere licet. Secus, nodos video inextricabiles, &

implexa

implexa ænigmata, quæ dissolvere haud opis est nostræ. sed nec in alio quopiam esse eam ingenii vim opinamur. Diximus de mystica interpretatione, quod sentiebamus. sed addimus, haud promiscuam eam esse, nec plurium, sed stare suis finibus. stat ea, inquam, intra Apostolos & Euangeliorum scriptores, quorum sunt commentationes θεόπνευστοι. Nam quod postea sancti Ecclesiæ antistites idem illud imitati sunt, alia res est. nullum enim eorum inventum probare cogimur, nisi probe nobis ejus intellecta ratio sit. Ad Cabalæ divinitatem opus est, uti in hominis pectus vis cœlestis descendat. Non potest res tanta stare sine numine. Origenes, maximus sane vir, in anagogis tantum sibi permisit, uti modum excesserit, neutiquam verecunde. at Augustinus & Hieronymus pudentiores fuere. quare, ut nulla eorum commenta authoritatem obtinent sacram, ita sunt pleraque tamen pulcherrima. Vel illud Hieronymi quam luculentum est, quod ideo referam, quia ad legis arcana, de quibus diximus hactenus, pertinet. Disserit super Matthæi verbis, quæ sunt in capite vicesimo & septimo, *Velum templi scissum est in duas partes, à summo usque*

que deorsum. Iuxta anagogen dicendum est, inquit, *quod inclamante Iesu & emittente spiritum, velum templi scissum sit, & omnia legis revelata sint mysteria, ut, quæ prius recondita tenebantur, universis gentibus proderentur. In duas autem partes, in vetus & novum testamentum: & à summo usque deorsum: ab initio mundi, quando homo conditus est, & reliqua, quæ facta in medio, sacra narrat historia, usque ad consummationem mundi. Et quærendum, quod velum templi scissum sit, exterius, an interius? Mihi videtur in passione domini illud velum esse conscissum, quod in tabernaculo & in templo foris positum fuerat, & appellabatur exterius: quia nunc ex parte videmus, & ex parte cognoscimus. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc & velũ interius dirumpendum est, ut omnia, quæ nunc nobis abscondita sunt, domus Dei sacramẽta videamus.*
Hæc & erudita sunt, & pie excogitata. Sane pleraque de hoc genere, quæ prisci Patres scripsere, plus genii habent, quam Iudæorum argutiæ. qui tamen homines, plurima cum habeant eruditionis præsidia, nihil intentatum reliquerunt. Nimium ineptiunt plerique, qui inter eos interpretati legem sunt, supercilioſi magistri, qui errores erroribus tegunt, ne perpluant, & discipulos

los suos magna mercede unum hoc docent, *Nihil sapere.* Qui plurimos sui similes, hoc est, putidos & nugatores effecerint, ii primas tenent, & nomine admodum insolenti sese appellitant מרביצי תורה, quasi tu barbare dixeris, *Qui efficiunt uti lex recubet*, hoc est, quiescat inter eos, & sedem habeat in sola gente Iudaica. Est tamen eorum factio quædam cordatior. ii sunt Karraitæ, qui spretis hominum placitis, Talmudica præcepta pro nugamentis habent, & nihil admittunt, nisi sacri codicis contextum. Sed id hominum genus cæteris Iudæis invisissimum est. Itaque, cum sint oppido pauci, sed ad unum omnes ditissimi, filias suas cum dote summa vix dare nuptum queunt. Hoc, quia ab aliis proditum jam est, non referrem, nisi persæpe nobis movisset risum. Profecto usque adeo bonam mentem ejuravere putidissimi mortalium, uti malint pecuniam, rerum reginam, spernere, quam socerum habere non ineptientem.

Caput IX.

Quid de Messia perceptum cognitumve habuerint Hebræi in veteri Ecclesia. Tota res illa diligentius excussa. Quam prave

pravo more omnia ad artem & ad formulas adstringantur.

IN superioribus libris, cum Iudæos, post Messiæ adventum, spretos posthabitosque à numine diceremus, demonstravimus causam ejus rei fuisse summam illorum incredulitatem. Et sane quæ potuit esse desperatior perversitas, quam quod oculis *ipsi* suis, suisque auribus fidem haud habuerint, cum aderant jam non rerum testimonia signaque, sed res ipsæ? Vtique hoc vindicandum ultricibus pœnis fuit. Nunc libet nobis postliminio regredi in ea tempora, quibus Messiæ beneficia per imagines modo figurasque, atque per vatum prædictiones significata quondam Hebræis sunt. Enimvero, cum insint in oraculis arcani sensus, cumque oppido arduum sit mortalibus res futuras, nedum earum umbras, intelligere, diu illud inter *homines* eruditissimos disceptatum est, quid de summo salutis auspice speraverit olim credideritve antiquior illa Hebræorum natio? Habet ea res magnum momentum ad rectam interpretationem totius sacri codicis. adeo late patet illius ambitus. est enim ubi Divus Paulus quædam diversa dicere videtur.

videtur. atque eadem est velut discrepantiæ species in aliorum scriptis. Itaque excutienda hæc nobis sunt, haud sane in transcursu. Iuvat enim interdum philologorum spatia relinquere, & in his consistere, quæ sunt sublimioris contemplationis. Eatur, quo nos rerum magnitudo vocat. Nisi semel statuerimus, quod consilium in illis sequamur, semper æstuabimus. Dignus hic vindice nodus est. Et opiniones quidem aliorum non percensebimus. positæ enim in magna varietate sunt. & præterea, nemo dixit quod penitus placeret. Nos nihil cuiquam detrahentes, mediam quandam secuti rationem, patenti via pergemus ad verum. Ac primo quidem de patriarchis deque vatibus dicamus, quos animi sui fiduciam in Messia posuisse, scientiamque habuisse summi mysterii, utique scimus pro certo. Tantæ rei cognitio, quoddam beneficium singulare fuit, quod numinis quidem favor illis tribuerat, sed omnibus haud ex æquo. Minus enim clare hoc quidam sciverunt, etsi sciverunt tamen. Inter omnes, qui per illa tempora vixere, nemo fuit quisquam, qui plus credidderit, quam Abramus. Itaque de illo perquam magnifice ait istud servator hominum,

minum, *Abraam pater vester gestivit ut videret diem istum meum: & vidit, ac gavisus est.* Quid potest pulchrius excogitari? Agitabat ille animo omnia magna atque excelsa: sed munimenta non habebat, quibus insisteret. orbitas enim ejus, quia sine liberis erat, spernebatur. Id angebat viri animum. Audivit vota ejus propitius *Deus*, & progeniem illi pollicitus est, quæ *late* regnaret. at ille statim hinc altius aliquid meditatus est, & fore intellexit uti ex se Messias oriretur. ita enim divus Paulus [1] interpretatur, *Abrahamo dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, Et seminibus, ut de multis: sed ut de uno, Et semini tuo, qui est Christus.* In eodem ordine Iacobum, Davidem, atque alios quosdam, sed paucos, locamus. Quæ cæteris contigit ejusdem rei cognitio, obscurior fuit. idque significatum est illo Messiæ dicto, *quod* antea quoque citavimus, *Multi vates & justi cupiverunt videre, quæ videtis, & non viderunt.* Vtique, quem venturum sciebant, cernere desiderabant. Hæc fides illorum fuit. Desideravit & Abramus. Hoc inter eos commune erat. At diversitas in eo est, quod vidit ille, quæ videre

[1] *Ad Galat. cap. 3 vers. 16.*

videre cæteris haud datum est. *Abraam cupiit videre, & vidit, lætatusque est.* Hæc Abrami felicitas profecto non vatum modo, sed angelorum quoque excessit sortem. De qua re nos certos facit divi Petri isthæc oratio. [1] *De qua salute inquisiverunt prophetæ, scrutantes in quod vel quale tempus prænuntius ille, qui in ipsis erat, spiritus Christi, declararet eventuras Christo perpessiones, & gloriam illas consecuturam. quibus patefactum est, eos non sibi, sed nobis ea administrare, quæ nunc annuntiata sunt vobis, in quæ desiderant angeli introspicere.* De his, qui sanctæ gentis capita fuere, quique futura vaticinati sunt, ita habendum est, uti diximus. Atque id neutiquam obscurum est. At multitudinem & vulgus piorum si cogites, jam exquisitiore opus oratione est, uti expedias quid crediderint. Nobis haud committendum est, uti ullo pacto sequi videamur quosdam delirantium sectarum duces, homines vanissimos & spiritu vertiginis actos, quorum opinio est, non esse Iudæorum plebem transmissam in eum rerum statum, in quem pios cunctos vindicavit Messiæ virtus. Plane enim contra sentimus. Certum est,

[1] *In 1 epist. cap. 1. v. 10.*

est, indubitatumque, quod Apostolus ait Hebræis suis, in capite nono, *ob id novi fœderis mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ fuerant sub priore testamento, promissam æternam hæreditatem acciperent, qui vocati erant.* Enimvero ait expiatum esse, quod ante deliquerant Iudæi. Neque alio pertinet, quod scribitur ad Galatas, in capite tertio, *Antequam venisset fides, sub legis præsidio tenebamur, conclusi in eam fidem, quæ erat revelanda.* Hæc negare, id vero esset ad summum vecordiæ venisse. Non sumus tam imprudentes. Scimus illis obtigisse cœlestia bona. Sed de fide eorum, dispiciendum amplius est. Age igitur, primo consideremus, an non potuerint illis hæc omnia obtingere etiam sine sacra fide? Mox, ubi hoc palam fuerit, reliquum erit, uti &, fuisse in illis aliquam fidem, & *cujusmodi* ea fuerit, ostendamus. De *priori* capite sic statuimus; etiamsi multitudo nihil cognitum perceptumve habuisset de Messia, nihilo tamen minus cœlestem beatitudinem dari illis potuisse propter patriarchas, qui Messiam mente intuiti sunt, & fœderis hanc promissionem accepere à numine, *Ero Deus vester & posteritatis vestræ.* Hinc persæ-

persæpe Israëlitæ in sacro codice, cum veniam ab irato Deo, & insuper magna impetrant beneficia, cœlesti voce monentur, uti hoc totum acceptum ferant majoribus suis, Abramo, Isaco, Iacobo. Creber ille sermo est in Pentateucho, & in vatum scriptis. Porro fœderis illius, quod cum patriarchis sancitum diximus, sponsor Messias fuit, qui ob eam causam à vate appellatur *angelus fœderis*. Quare, quod si multitudini Israëlitarum data sic salus esset, propter Messiam data esset, profuissetque hoc illis, quod majores eorum tantis promissis quondam habuerant fidem. Et vero, qui hoc diceret, nihil faceret insolenter, siquidem etiam bene esse infantibus illis existimamus, quorum nascentia fata mors abrumpit in vitæ limine. valet enim illis ad salutem pietas parentum, usque adeo certe, uti divus Paulus dicat, liberos, qui nati ex altero parente impio sunt, sanctos tamen esse propter alterius fidem. Locus est in epist. 1. ad Corinth. in c. 7. *Maritus incredulus sanctificatus est in uxore, & uxor incredula sanctificata est in viro. alioqui certe liberi vestri impuri essent. nunc autem, sancti sunt.* Non ignoro equidem, extare scripta gravissimorum hominum,

num, qui in infantibus, uti captus eorum est, inesse quandam sacræ fidei vim tradunt. Sed hoc tam fatuum est, ut flagris castigari dignum sit. Apostoli enim vox est, [1] ὅτι ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, *ex auditione fidem esse.* addamus nos, *etiam ab assensu.* Agant vero illi, quorum est istud delirium, & memoriam pueritiæ suæ, quoad possunt, repetant ultimam. Sane haud dicent se vel illo tempore, cum inter æquales primulum ludere inciperent, quicquam magnopere compertum habuisse de summo religionis mysterio. aut, si dixerint, tum vero mihi incedant cum manicata tunica. Ita decet profecto. nam ab incunabulis sapiunt. Cæterum, haud abs re est, quod Israëlitas cum infantibus composui. Causa enim, cur numinis jussu in Arabum desertis per Mosen lata lex sit, hæc fuit, uti religionum ritus quidam cæremoniæque extarent, iisque se elementis infans solaretur populus, donec in terras venisset promissus majoribus ipsorum Messias. Præclare divus Paulus ad Galatas ait in hunc modum: *Lex transgressionum gratia addita est, usque dum venisset semen illud, cui facta est promis-*

[1] *Ad Rom.* 10. v. 17.

promissio. Et paulo post: *Lex nos, velut pueros, manu duxit ad Christum.* Sed apertissime, in cap. 4: *Nos, cum essemus infantes, sub elementis mundi eramus in servitutem redacti.* Ea elementa ibidem *infirma & egena* appellantur, quæ relinquere, & solidam veramque doctrinam capessere jussi sunt mortales, cum Messias venisset. quippe scriptum alibi est, *Mortui cum Christo estis & defuncti elementis mundi.* Quare, qui hodie supersunt Iudæi, non amplius pueri sunt, nec sub pædagogo vivunt. Atque adeo, non pertinent nunc ad eos illa beneficia, quæ olim rudi infantique plebi propter majores dari potuisse diximus. Venit enim ille dies, qui virile quiddam atque consummatum ab illis requirit. Ex his, quæ retulimus, constat, fœdus olim duplex fuisse. Alterum cum patriarchis factum est, idque sancivit Deus promissionibus, quæ de Messia sunt. Hinc illa sunt in epistola ad Galat. [1] *Abrahamo dictæ sunt promissiones. pactionem autem confirmatam ante à Deo respectu Christi, Lex post annos 430 lata non facit irritam, ut aboleat promissionem.* Et in commentariis Actuum Apostolicorum dicitur, *Nos vobis, læta*

[1] *In cap. 3. vers. 16. & 17.*

portantes, annuntiamus eam promissionem, quæ facta Patribus est. Alterum fœdus cum multitudine pepigit Deus, sanxitque legislatione. In eo fœdere pariter, uti in priore, promissiones quasdam fecit Deus, sed earum rerum, quas ideo desperabat populus, quia vivere ex legis præscripto non poterat. Conanti enim officiebat naturæ infirmitas. Itaque quod scriptor Epistolæ ad Hebræos ait in capite octavo, *Christus excellentius ministerium sortitus est, quo præstantioris est fœderis intercessor, quod præstantioribus promissis sancitum est:* sane illic novi testamenti pactio non componitur cum fœdere, quod datum patriarchis est, sed cum eo, quod diu postea sancitum lege est. Locus ille obscurissimus est, & nisi commode sic, uti jam subjiciemus, explicetur, tenebras offundet sacræ scripturæ. Enimvero ita res est. Novi testamenti tabulæ haud promittunt res meliores, quam olim promissæ patriarchis fuere, neque *novum* dicitur testamentum, quasi veterem pactionem cum Abrahamo factam abroget, sed quia illius vi aboletur alterum illud fœdus, quod cccc xxx annis *post* priorem pactionem sancitum legibus est, in quo promissiones quidem fiunt populo,

pulo, sed quas *deteriores* appellat Apostolus, quia conditionem illis adjecerat legislator, quam præstare nemo poterat, *Qui fecerit ea, vivet in eis*. At de Abrahamo, cui in priore pactione promissus Messias est, ait sacer spiritus in Genesi, *Credidit, & justus habitus est*. Hæc cum hunc in modum de priori illo capite dici perquam probabiliter possint, pergamus ad alterum, probemusque fuisse olim quandam fidei vim in multitudine piorum. Ac primo quidem, quæ in universum vulgus Israelitarum credere necesse habuit, ea ferme istiusmodi sunt; Dei virtute res posse maximas & admirandas perfici; certa esse illius promissa: colendum illum non vultu & fronte, quibus simulatio facillime sustinetur, sed animi obsequio: eam gloriam, eas opes esse pulcherrimas. Plura ejus generis referri queunt, cum ejus rei multæ sint magnæque affinitates. Sed nos nullis terminis eam circumscribimus. Ridicula superstitio est, de definitionibus semper sollicitum esse. Quædam enim haud recte limitantur. Ita rerum indoles fert. Profecto doctores umbratici, qui omnia in formulas includunt, sæpe in arctum desiliunt, unde pedem referre haud sinit pudor, & incepti

lex. Hinc discordia, iræque, & nulla modestia contentionis. Apostoli & Euangeliorum scriptores, si brevi usura lucis ad mortalium cœtus redirent, mirarentur ad libros suos interpretandos tot esse analyses methodosque, & ex sophistarum nugis tot insanas moles convectatas. Divina quædam res est in eorum scriptis. horrida illa simplicitas, quam olim tanto quisque felicius secutus est hercle, quanto propius tempora illorum attigit. Nunc, in hoc mundi senio, postquam intra famelicæ artis spatia stetimus, levibus atque inanibus præceptis effectum est, uti corpus divinæ sapientiæ enervaretur & caderet. Sed non est hic nobis declamandum. Ad fiduciam illam, quam in universum ponere in Dei virtute promissionibusque debuit gens Israelitica, pertinent verba disertissima Divi Pauli in epistola ad Hebræos, aut quocunque nomine appellandus is author est, qui epistolam scripsit ad Hebræos: [1] *Nobis euangelizatum est, sicut & illis. Sed non profuit illis auditus sermo: quippe qui fide contemperatus non fuerit apud eos, qui audierant.* Oratione usus est haud admodum adstricta.

[1] *cap. 4. v. 2.*

ta. Nam, si veteres Israelitas spectes, Euangelismum appellat, promissionem quietarum sedium, quas in Cananæa sibi fore intellexerant ii, qui cum Mose Ægyptum reliquerunt. Illis autem sedibus plerique haud potiti sunt, hanc ob causam, quia in vastissimo deserto, inter varios casus, rerumque inter discrimina, identidem in querelas quasdam & seditiosas voces erumpebat incauta mortalitas, neque durare fortiter, aut semet rebus servare lætioribus poterat. Paulo ante [1] dixit divinus scriptor, *Quibus autem juravit, non ingressuros eos in requiem, nisi iis, qui non obedierant*? Nimirum hoc ait, exclusos fuisse *eos, qui immorigeri fuere*. Itaque fides, de qua ibi sermo est, fuit obsequium: incredulitas autem, contumacia erat & inobsequens adfectus. Sed incredulitatis illius indoles manifestior est in illis verbis, quæ ibidem [2] scriptor epistolæ recitat ex Psalmo nonagesimo & quinto: *In deserto tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, & viderunt opera mea quadraginta annis. quapropter infensus fui nationi isti, & dixi: semper errant corde, ne-*

[1] *Hebr. cap. 3. vers. 18.* [2] *Ad Hebr. cap. 3. vers. 9. & 10.*

que cognoverunt vias meas. Rursum vero ibidem, atque ex eodem Psalmo, alterum quendam melioremque eruit euangelismum: cui quisquis fidem haberet, is non Cananææ sedes animo contemplaretur, sed æternam cœlestemque quietem, quam non Iosua, sed Messias, summus rex, suis civibus conficit. Hoc est [1] in illis verbis, *si Iosua eos in requie collocasset, nequaquam de alio posthac die locutus fuisset. itaque reliquus est aliquis sabbatismus populo Dei.* Enimvero ait eos, qui Iosua duce in Cananæam venerunt, tamen propterea non frui cœlesti requie. Atqui jam dixit eos per fidem venisse in Cananæam. Ex quo profecto palam fit, fidem eam, quæ in Messiam est, haud ex omni parte eandem esse cum ista, quæ in universum Dei adhibetur promissionibus. Certe quidem ipse Moses prohibitus tranquillis Cananensium sedibus est, quia numinis *diffidebat* virtuti, cum saxum feriret. Hæc fuit mera incredulitas, & expresse id scriptum est in capite vicesimo Numerorum. at idem tamen ille quantam spem in Messiæ meritis habuerit, discimus ex illis verbis; [2] *Moses majores divitias arbitra-*

[1] *cap. 4. vers. 8.* [2] *cap. 11. vers. 26.*

arbitratus est probrum Christi, quam Ægyptiorum thesauros : conciiciebat enim oculos in mercedem, quæ sibi daretur. Itaque quidquid de veterum Israelitarum incredulitate in capite tertio & quarto dicit Apostolus, id vero caute accipiendum est. Monet enim sui seculi Hebræos, magnopere providendum esse, ne illis ad capessenda bona cœlestia obsit sua incredulitas, quoniam profecto majores eorum, postquam Deum irritavissent, excluſi fuere beata illa regione, quæ meliorem hanc cœlestemque patriam figurabat. Hæc est simplicissima interpretatio illius loci, ex quo nunquam fore speraveram uti me expedirem. Omnis iste sermo nihil aliud nisi levitatem vanitatemque Hebræorum significat, qui in Arabum desertis, vitio humani ingenii, sæpe lapsi graviter sunt, & mala sibi sua accersivere. Quanquam haud fuit sane majus animi robur in illis, qui terram promissam intraverunt, quique sacra illuc & religionum transtulerunt cæremonias. Extant de eo populo querelæ numinis adeo multæ, uti in vatum libris utramque paginam faciant. Vtique, si omnia persequi vellemus, magna nos circumflueret rerum copia. Sed breviter rem edisserit Sulpicius Severus, epi-

scopus sanctissimus,&, Augustino judice, vir doctrina atque sapientia pollens. Ejus verba, quia elegantissima sunt, huc transcribam. *Semper Hebræi*, inquit, *in secundis rebus immemores cœlestium beneficiorum, idolis supplicabant: in adversis, Deo. Vnde, cum reputare in animo soleo, populum tot beneficiis Dei obligatum, tot cladibus, cum peccaret, coercitum, expertumque & misericordiam & severitatem Dei, nequaquam fuisse emendatum, & cum semper veniam erroris acciperet, semper peccasse post veniam: nihil mirum videri potest, Christum ab his non esse receptum, cum jam inde ab initio toties in dominum rebelles deprehendantur. magisque mirum est, illis semper peccantibus, nunquam Dei, si quando eum imploraverunt, defuisse clementiam.* Satis diximus de fide, quam in universum Dei verbis commodare vetus Hebræorum debuit populus. Nunc tandem, quod caput rei erat, etiam illud dicimus, plebem piorum olim, antequam Messias venisset, de Messia quiddam certum cognovisse atque credidisse. Id demonstari paucissimis quidem testimoniis, sed demonstrari tamen potest. In capite quarto Euangelii, quod scriptum à Ioanne est, muliercula Samaritana ex communi & recepta pridem homi-

hominum opinione, Messiã, quem venisse ignorat, sic affatur, *Novimus Messiam venturum, cum venerit ille, omnia nobis annuntiabat.* Erant Samaritani residua pars Israelitarum, quos à Iudæis olim Hieroboamus avulserat. itaque ignorare non poterant quod vulgo cuncti Hebræi super hac re senserunt. Luculenter Apostolus in capite undecimo epistolæ ad Hebræos, fidem eam describit, cujus vim ingentem in omnibus piis fuisse ait. Ejus descriptio est istiusmodi, *fides est illud, quo extant, quæ sperantur, & quæ demonstrat, quæ non videntur.* Subjicit exhinc, *ob hanc elogio ornati sunt prisci illi.* Post hæc, omnis ævi fastos percurrit. Fidei autem hujus laudem non summis modo populi ductoribus, sed plebi quoque Israeliticæ tribuit, quæ Dei jussis obsecuta, Ægyptum reliquit. ait enim: *per fidem transiverunt rubrum mare, velut per siccam terram.* Sane non possumus cogitare populum illum corpori tantum & sensibus fuisse deditum, cum eadem fides illi adscribatur, per quam alii heroes, qui in illo capite recensentur, Messiam & cœlestia contemplati sunt. Extat hercle ibi [1] illud quod de

[1] *In Epist. ad Heb. cap. 11. v. 26.*

Mose jam recitavimus, *qui divitias putavit esse probrum Christi.* Et de aliis ibidem dicitur, *Secundũ fidem mortui sunt isti omnes, eminus promissa conspicati, ac professi se hospites & advenas esse in terra. meliorem enim patriam expetebant, hoc est, cœlestem.* De Iosepho quoque illud ibidem haud de nihilo est; *Per fidem Ioseph moriens de egressu filiorum Israel meminit: deque ossibus suis mandavit.* Enimvero sciebat ille fore, uti in Cananensium sedibus olim Messiæ infantia vagiret. itaque quiescere illic sua ossa voluit. Alioqui valde hæc profecto inepta solicitudo fuisset hominis sapientissimi. Quid enim interest quo loco sepeliare, cum nec illud tua interfit, an sepeliare? Semel hoc beneficium dedit morientibus Deus. cœlo teguntur, quos urna non tegit. Mæcenas, cætera vita mollissimus, hoc unum viriliter dixit,

Nec tumulum curo: sepelit natura relictos.

Nondum illud retuli, quod amplissimis verbis de plebe Israelitica scribit ad Corinthios D. Paulus;[1] *patres nostri omnes eandem escam spiritualem ederunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt.*

[1] *In 1. epist. cap. 10. vers. 3. & 4.*

berunt. bibebant enim ex sequente spirituali petra. petra vero erat Christus. Etiam, quæ sequuntur mox, sine piaculo non possunt omitti: *Ne tentemus Christum, sicut quidam patrum tentarunt, & à serpentibus perierunt.* Iam perveniſſe ad calcem videbamur, cum incidit in mentem nobis, nondum rem omnem nos enodaviſſe. Etenim extat Divi Pauli oratio ad Corinthios, quæ confutare id omne videtur, quod hactenus dictum à nobis eſt. Verba ſunt;[1] *Moſes imponebat velamen faciei ſuæ, ne intuerentur filii Iſrael* εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου, *in finem ejus, quod aboletur.* Iam dubium neutiquam eſt, quin velamen Moſis, cæcitas ſit Iudæorum. τὸ καταργούμενον, eſt *lex, cujus vis nunc ceſſat.* finis autem τοῦ καταργουμένου eſt *Meſſias.* de quo ſcribitur ad Romanos;[2] τέλος νόμου Χριστὸς, *finis legis eſt Chriſtus.* Sed profecto hæc res nullum momentum trahit, neque cauſæ eſt, cur ſententiam mutemus. Non enim ait eruditiſſimus Apoſtolorum, Iudæos nihil de Chriſto cognoviſſe: ſed hoc vult, neſciviſſe eos quodnam fuerit Dei conſilium, cum legem ferret. Lex

[1] *In 2 epiſt. cap. 3. verſ. 13.* [2] *In cap. 10. verſ. 4.*

ret. Lex enim cæremoniæque omnes Christum spectabant. idque erat mysterium admirabile, & quod Iudæi de plebe olim haud intellexere. & tamen venturum Messiam, atque res lapsas fessasque restauraturum didicerant cuncti, ex vatibus utique, non ex lege. Hæc nos, quæ in sacro codice observavimus de re intricatissima, ingenue sic publicare neutiquam veriti sumus. Diximus autem neque omnia, neque nihil. De singulis operose disputare, atque argutias serere, nostrum haud est, sed nec cujusquam sani hominis. Non debet cœlestis sapientia in has angustias ex sua majestate detrahi. Nec vero ii ipsi, quibus hoc facere cura est, quidquam magnopere proficiunt. Nihil enim sibi, nisi flexus disponunt, quos cum magna molestia debeant relegere.

FINIS.

Resp. Hebræa
et
Atheniensis.

Th
5121

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN